DE

LOCO POETICÆ ARISTOTELEÆ

1449 b 13—16

CUM TRAGOEDIIS COLLATO

COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

IVAR HJERTÉN

UPSALIÆ

TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST & WIKSELL

MCMI

DE
LOCO POETICÆ ARISTOTELEÆ
1449 b 13—16
CUM TRAGOEDIIS COLLATO

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM SCRIPSIT

ET PERMISSU AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS UPSALIENSIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

N. IVAR F. HJERTÉN

PHIL. LIC. VESTROG.

IN AUDITORIO IV DIE XII M. OCT. A. MCMI

H. A. M. S.

UPSALIÆ MCMI

TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST ET WIKSELL

— — καὶ γὰρ εἰ μὲν ἐδύναντο πάσας διαφεύγειν τὰς ἀλογίας ἐν ταῖς τραγῳδίαις, ἴσως ἂν εἶχε λόγον, μηδὲ τοῦτο παραπέμψαι.

Dio Chrysostomus.

Aristoteles in capite quinto libelli, quem de arte poetica conscripsit, ea, quibus tragoedia ab epopoeia differat, enumerans hæc dicit: 1449 b 13 seqq. ἔτι δὲ τῷ μήκει (scil. διαφέρουσιν ἡ τραγῳδία καὶ ἡ ἐποποιία)· ἡ μὲν ὅτι μάλιστα πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν, ἡ δὲ ἐποποιία ἀόριστος τῷ χρόνῳ, καὶ τούτῳ διαφέρουσιν (v. l. διαφέρει). Tum sic pergit: καίτοι τὸ πρῶτον ὁμοίως ἐν ταῖς τραγῳδίαις τοῦτο ἐποίουν καὶ ἐν τοῖς ἔπεσιν. Hoc igitur loco Aristoteles prædicat, tragoediæ Græcorum esse proprium, ut actio, quæ in fabula repræsentetur, quam maxime intra unum solis ambitum consistat. Hæc Aristotelis verba, quæ citavi, vel cursim perlegenti satis apparere credo, Aristotelem neutiquam 'regulam' quandam hoc loco constituisse, ad quam ut ex ipsa tragoediæ natura cogitatione distinctam omnes tragoedias dirigere oporteret. Quod cum iam Lessing[1] et A. W. Schlegel[2], viri illi in doctrina æsthetica præstantissimi, quos honoris causa nomino, quamvis breviter tamen graviter monuerint, nemo adhuc, quantum ego scio, sese

[1] 'Hamburgische Dramaturgie' ed. Lachmann pag. 193 seqq.

[2] 'Vorlesungen über dram. Kunst und Litteratur, ed. Böcking, inprimis II, pag. 23 seqq.

operæ pretium facturum existimavit, si diligentius perquisivisset, num omnes vel saltem pleræque tragoediæ Græcorum, quæ supersunt, cum hoc Aristotelis dicto quadrarent necne. Porro cum nuper viri quidam doctissimi anglicani de 'Orestea' Aeschyli ab hac parte nonnulla disputaverint[1], in quibus sententias quasdam novas proposuerunt, quas equidem facere non possum, quin magna ex parte improbem, haud alienum mihi visum est omnes vel, si id longum videbitur, quam plurimas fabularum, quæ nobis servatæ sunt, ab hac parte copiosius examinare. Et id quidem ita perficere constituo, ut e disputatione mea, quantum fieri poterit, appareat, qua ratione hoc tragoediæ græcæ proprium, si quidem proprium esse invenietur, cum structura tota tragoediæ græcæ cohæreat.

Priusquam ad hoc, quod mihi proposui, transeam, mihi refutanda est interpretatio hujus loci, quam proposuit G. Teichmüller[2]. Is hoc fere modo disserit: verba illa Aristotelis ita audienda non esse, quasi iis tempus actionis illius cogitatæ, quæ tragoedia contineatur, ad unum fere diem circumscribatur, sed referenda esse potius ad tempus illud verum, quo ab histrionibus agatur fabula; Aristotelem enim semper illo verbo, quod est μῆκος, quod idem significet atque μέγεθος, utentem spectavisse longitudinem externam fabularum, quæ numero versuum efficiatur, qua tragoedia et epopoeia inter se differant; quamobrem sensum hujus loci hunc esse debere: tragoediam longitudine sua, qualis exstet, cum fabula ab histrionibus agatur, quam maxime conari intra unum diem consistere (vel potius unum diem

---

[1] v. infra pag. 10 seqq.; de tragoediis Sophocleis ab hac parte aliqua disputavit Theod. Thom. Jungwirth, 'Das sogenannte Eintagegesetz in den uns erhaltenen Tragödien des Sophokles', Progr. von Melk 1871, de quo v. infra pag. 39 seqq.

[2] v. 'Verhandlungen deutscher Philologen und Schulmänner in Halle 1867', pag. 48 seqq.; Teichmüller, 'Aristot. Forsch.' I, 'Beiträge zur Erklärung der Poetik des Aristoteles', Halle 1867, pag. 171 seqq.

explere)[1], cum recitatio epopoeiæ satis commode per multos dies dispertiatur. — In interpretatione tam nova mirabilique et, quantum equidem scio, ab omnibus interpretibus Aristotelis, qui ejus mentionem fecerunt, tanquam una voce improbata atque rejecta tempus terere mihi in animo non est, cum iam argumentis virorum doctissimorum satis refutata esse videatur[2]. Liceat tantum omnes difficultates, quæ Teichmüllero sic interpretanti oriuntur quæque per se satis dilucidæ sunt, paucis verbis proponere. Primum mirabile sane esset, Aristotelem, qui alio loco dixerit, longitudinis circumscriptionem quamlibet, quæ ad fabulam ab histrionibus agendam pertineret, de his rebus philosophanti plane nullius momenti esse (Poet. 1451 a 5 τοῦ μήκους ὅρος [ὁ add. Bursian] μὲν πρὸς τοὺς ἀγῶνας καὶ τὴν αἴσθησιν οὐ τῆς τέχνης ἐστίν), hoc loco in enumerandis differentiis ut ita dicam cardinalibus tragoediæ et epopoeiæ statuisse, repræsentationem tragoediæ intra unum diem consistere debere, recitationem autem epopoeiæ per multos dies dispertiri posse. Porro quæ sententia inest in interpretatione illa Teichmülleriana: repræsentationem tragoediæ unam περίοδον ἡλίου explere vel paululum excedere? Primum occurrit, tragoediam sic interpretanti audiendam esse trilogiam vel potius

---

[1] 'soviel als möglich einen ganzen Tag in Anspruch nehmen; die Dichter werden sich beeifern, auch durch die Grösse ihrer Tragödien, wie er an einer andern Stelle sagt, ihre Concurrenten zu übertreffen'. Verhandl. pag. 50.

[2] Cfr ea, quæ de hac re disputaverunt Sauppe, 'Verhandl. d. Philol. u. Schulm. in Halle 1867', pag. 50 seqq.; Ueberweg, ibid. pag. 52 seqq., 'Aristoteles über die Dichtkunst', pag. 57 not. 24, Ribbeck, 'Zeitdauer der Tragödie', Rhein. Mus. 24 1869, pag. 133 seqq.; Vahlen, 'Beiträge' III, Sitzungsb. der Akad. der Wissenschaften zu Wien 56 1867, pag. 335, Jungwirth, l. c. pag. 7 seqq.; Bergk, 'Griechische Litteraturgeschichte', III, Berlin 1884, pag. 203 cum not. 2; Döring, 'Die Kunstlehre des Aristoteles' Jena 1876 pag. 235. Ceterum hæc verba Aristotelis ne ita, ut Teichmüllero placuit, acciperemus, iam pridem monuit L. Sahl 'Q. Horatii Flacci de arte poet. ad Pisones epistola adjuncta Aristotelis de poetica', Hauniæ 1802, pag. 18 not. 1: 'Nec enim de duratione ipsius repræsentandæ tragoediæ, sed rei, quæ facta fingitur, hic sermo est'.

tetralogiam, quam vim in hac voce apud Aristotelem numquam alias inesse omnes consentiunt. Affert Teichmüller locum Convivii Platonis, 173 A, ubi est: ὅτε τῇ πρώτῃ τραγῳδίᾳ ἐνίκησεν Ἀγάθων; poetas autem tragicos non una tragoedia, sed tota trilogia certavisse; significari igitur hoc loco tragoedia trilogiam. Equidem illud ad locum nostrum Aristoteleum nihil valere puto: vulgo enim homines sermone quotidiano, qui quodammodo in dialogo illo Platonis usurpatur, de palmis tragicis loquebantur tanquam *tragoedia* relatis, non quod tragoediam idem quod trilogiam significare putarent, sed quia ejus solum tragoediæ mentionem faciebant, qua spectatores maxime delectati palmam auctori detulerant. Ejusmodi autem neglegentiam quotidiani sermonis philosopho nostro tribuere non licet. Quod cum ita sit, verbum, quod est τραγῳδία, nego apud Aristotelem τριλογίαν significare posse. Sed fac me concessisse: num qua sententia tolerabilis ex interpretatione Teichmülleri evadit? 'Repræsentatio trilogiæ — vel tetralogiæ — unam περίοδον ἡλίου explet'. Quantum quidem e fabulis, quæ supersunt, judicari potest, tantum aberat, ut repræsentatio integræ tetralogiæ περίοδον ἡλίου totam expleret, sive hæc verba diem sive diem noctemque significare putas, nedum hoc temporis spatium excederet (μικρὸν ἐξαλλάττειν), ut potius intra sex vel ad summum octo horas consisteret[1]. Non est igitur, cur decedamus ab eo, quod usque ad Teichmüllerum inter viros doctos, nisi fallor, constabat, magnorum saltem tragicorum temporibus tragoedias inter auroram et prandium peractas esse, tum tempore postmeridiano ejusdem diei comoediam actam esse, quæ quidem opinio duobus illis locis Aristophaneis nititur Av. v. 785 seqq. οὐδέν ἐστ' ἄμεινον οὐδ' ἥδιον ἢ φῦσαι πτερά. | αὐτίχ' ὑμῶν τῶν θεατῶν εἴ τις ἦν ὑπόπτερος, | εἶτα πεινῶν τοῖς χοροῖσι τῶν τραγῳδῶν ἤχθετο | ἐκπτόμενος ἂν οὗτος ἠρίστησεν ἐλθὼν οἴκαδε | κᾆτ' ἂν ἐμπλησθεὶς ἐφ' ἡμᾶς αὖθις αὖ κατέπτετο; Ran. 377 ἠρίστηται

[1] Hoc temporis spatium Aristotelem per μίαν ἡλίου μοῖραν expressurum fuisse recte admonet Bergk, l. c. pag. 203.

ἐξαρχοῦντως[1]. Porro cum ex sententia Teichmülleri repræsentatio tragoediarum totum diem consumeret, ut nullum tempus comoediis relinqueretur, concludit has alio quodam loco actas esse eodem tempore, quo tragoediæ in theatro Dionysi agerentur; id quod plane incredibile est, præsertim cum ne minimam quidem hujus rei mentionem apud comicos inveniamus. Neque vero verbis, quæ apud Aristotelem sequuntur καίτοι τὸ πρῶτον ὁμοίως ἐν ταῖς τραγῳδίαις τοῦτο ἐποίουν καὶ ἐν τοῖς ἔπεσιν, Teichmüllero sententiam probabilem subjungere contigit; quis enim ei crediderit affirmanti, Thespin vel Phrynichum secundum hæc verba Aristotelis tragoedias suas rhapsodiarum modo in complures dies dispertivisse? Quæ cum ita sint, interpretationem Teichmülleri infra in nullo loco positurus constituo, Aristotelem hoc loco prædicavisse, actionem fictam tragoediæ plerumque intra unam περίοδον ἡλίου consistere vel paululum excedere, cum actio, quæ in epopoeia celebraretur, quod ad tempus attinet, indefinita esset. Verba illa περίοδος ἡλίου utrum diem an diem noctemque significent, infra dijudicabo. Et nunc quidem ad tragoedias secundum propositum meum examinandas transeo, ut cognoscamus, utrum cum illis verbis Aristotelis congruant necne. Res postulare videtur, ut primum eas tractem eo ferme ordine, quo conscriptæ sunt; neque tamen omnes fabulas in hac disputationis meæ parte pertractare in animo est, verum eas solum, quæ aliquid singulare ad quæstionem præbeant.

---

[1] Ad Av. 787 anonymus apud Scaligerum conjecit τρυγῳδῶν, ad Ran. 377 Kock ἠγίστευται; cum Ribbeckio, l. c. pag. 134, utramque conjecturam ut inutilem atque falsam respuendam esse mihi persuasi; 'Kocks Vermutung ἠγίστευται verkennt den Humor des Mystenchors, der sich erst durch die empfangene Magenstärkung zum eleusinischen Festzuge recht aufgelegt fühlt' Ribbeck. Verbum autem, quod est τραγῳδῶν, ut illo ἐφ' ἡμᾶς = τοὺς τῶν κωμῳδῶν χορούς oppositum omnino desiderari censeo.

Constat tragoediam græcam a poesi lyrica et quidem a dithyrambo originem traxisse[1]. Consistebat tragoedia primis temporibus, ante quam suam ipsius naturam est consecuta[2], majore ex parte canticis chori, ad quæ secundo loco accedebant fabellæ a narratore quodam recitatæ, — sive is ὁ ἐξάρχων τὸν διθύραμβον sive ὁ ἰωνικὸς ῥαψῳδός[3] initio fuit, — quæ quidem primis temporibus extemporales[4] et sine dubio satis minutæ majus in dies incrementum ceperunt. Et id quidem, quod affectiones chori canticis expressæ, ut ita dicam, medulla tragoediæ fuerunt[5] narratione epica secundum tantum locum tenente, ad structuram atque compositionem provenientis hujus generis poesis multum valuisse apparet. Namque — si de rebus obscuris conjicere licet — dum 'lyrica' remanebat tragoedia, eam — ut cetera lyricæ poesis genera — momentariam, ut ita dicam, fuisse credo descripsisseque affectiones, quæ *puncto temporis* percipiuntur, ut admirationem satyrorum deo conspecto vel talia. Postquam tragoedia e diversis fabularum orbibus materiem quærere occepit, optandum fiebat, non modo ut fabula narratione epica recitaretur, verum etiam ut ipse fabulæ eventus ab agentibus repræsentaretur, cujus rei histriones adhibiti facultatem parabant. In veterrima Aeschyli fabula, quæ inscribitur *'Supplices'*, affectiones chori canticis expressae etiamnunc majorem tragoediæ partem explent, cum actio ipsa vel simplicissima sit: continetur eo fere, quod virgines, e quibus chorus constitit, id quod precantur consecutæ metu atque periculo liberantur. Postquam tragoedia multas mutationes subiit[6], actio primum obtinuit

[1] Aristot. Poet. pag. 1449 a 11.

[2] Cfr Poet. ibid. 14.

[3] De cujus actione nonnumquam nimis vehementi Poet. 1462 a 7 ἔστι περιεργάζεσθαι τοῖς σημείοις καὶ ῥαψῳδοῦντα.

[4] Poet. 1449 a 9.

[5] Cfr Diogen. Laert. III, 56, Athæneum XIV, 630, c, coll. cum Poet. pag. 1449 a 16.

[6] Poet. ibid. 13 κατὰ μικρὸν ηὐξήθη προαγόντων ὅσον ἐγίγνετο φανερὸν αὐτῆς, καὶ πολλὰς μεταβολὰς μεταβαλοῦσα ἡ τραγῳδία ἐπαύσατο, ἐπεὶ ἔσχε τὴν αὑτῆς φύσιν.

locum, quo tragoedia quam nos dicimus evasit. Quamquam satis apparet, tragoediam græcam numquam elementa, ex quibus initio constiterat, prorsus in unum confudisse: lyrica enim remanebant cantica chori, epicæ narrationes nuntiorum prologusque Euripideus, quem quidem e temporibus ante Aeschylum repetitum esse facile crediderim [1]. Tamen his partibus in secundum locum repressis licuit repræsentare actionem integram atque perfectam [2], i. e. actionem, quæ non unum tantum momentum contineret, — ut 'lyrica' illa tragoedia — sed magnitudinem haberet quandam [3], i. e. ex partibus constitisset inter se distinctis, quæ deberent esse principium et medium et finis [3], quæ quidem secundum necessitatem vel saltem veri similitatem ordine inter se cohærerent [4].

Ante quam poetæ tragici usu atque experientia didicissent, quæ fabulæ materiem aptam tragoediæ continerent [5] quoque ab initio profecta justa constitueretur fabula — cujus artis palmam Sophoclem tulisse constat — tragoediam item ut epopoeiam ἀόριστον τῷ χρόνῳ fuisse Aristoteles docet, quippe qui, ut iam dixi, ad verba initio citata adjecerit: καίτοι τὸ πρῶτον ὁμοίως ἐν ταῖς τραγῳδίαις τοῦτο ἐποίουν καὶ ἐν τοῖς ἔπεσιν [6]. Hæc verba, quorum sensus satis obscurus est, referenda esse puto et ad hanc tragoediam primorum temporum [7] et ad compositionem trilogicam tragoe-

[1] Cfr Oeri, 'Das epische Element in der griechischen Tragödie'; Bergk, l. c. III pag. 593.

[2] Poet. cap. VII pag. 1450 b 25 πρᾶξις τελεία καὶ ὅλη.

[3] Poet. ibidem.

[4] Poet. 1451 a 12 κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἐφεξῆς γιγνομένων.

[5] Cfr Poet. pag. 1453 a 17 πρῶτον μὲν γὰρ οἱ ποιηταὶ τοὺς τυχόντας μύθους ἀπηρίθμουν, νῦν δὲ περὶ ὀλίγας οἰκίας αἱ [κάλλισται] τραγῳδίαι συντίθενται. —

[6] Cfr Poet. pag. 1450 a 38 — οἱ ἐγχειροῦντες ποιεῖν πρότερον δύνανται τῇ λέξει καὶ τοῖς ἤθεσιν ἀκριβοῦν ἢ τὰ πράγματα συνιστάναι, οἷον καὶ οἱ πρῶτοι ποιηταὶ σχεδὸν ἅπαντες.

[7] Cfr Croiset, 'Histoire de la littérature grecque', Paris 1891, III pag. 38, Sittl, 'Geschichte der griechischen Literatur', München 1887, III pag. 147.

diarum idem argumentum persequentium[1], quam compositionem cum hac primorum temporum tragoedia arte cohaerere facile crediderim[2]. In hac igitur fabula primitiva, ut in epopoeia, episodia, quibus actio integra constituta erat, repræsentabantur nonnumquam magno temporis intervallo distantia, ut re vera evenisse ferebantur, et id quidem, quamvis minutæ in his primorum temporum tragoediis repræsentarentur fabellæ[3]. Quo modo chorus per tragoediam isto modo compositam partes agere potuerit, dijudicari non potest, cum monumenta artis illorum temporum non supersint; id haud commode fieri potuisse satis credo apparere. Nam si oportet chorum e personis constitisse, quæ actionis dramaticæ re vera participes essent, — id quod in omnibus tragoediis græcis, quæ quidem nobis servatæ sunt, videmus — quacunque hæ de causa convenerant, vix commode fingi poterat, eas plus diem unum congregatas remanere. Hoc loco animadvertendum esse mihi videtur, tragoediam quam vocant 'divinam' propter præsentiam chori non iisdem ac ceteras plerumque tragoedias restrictam esse terminis: cujus unicum exemplar præbet fabula Aeschylea, quæ inscribitur '*Prometheus*'. Cum hujus tragoediæ actio tota personæque omnes supra humanum modum elatæ sint, spectator facile sibi fingere potest, dum singulæ tragoediæ totaque trilogia[4] repræsentantur, immensa temporis spatia præterire, v. 94 δέρχθηθ' οἵαις αἰκίαισιν διακναιόμενος τὸν μυριετῆ χρόνον ἀθλεύσω. schol. v. 94 ἐν γὰρ τῷ πυρφόρῳ γ' μυριάδας φησὶ δεδέσθαι

[1] V. pag. 33.

[2] Croiset, l. c. pag. 37 seqq. pag. 126 seqq., 'Les origines de la tétralogie grecque', Revue des études grecques I, 4; Weil, 'Études sur le drame antique', Paris 1897, pag. 13.

[3] Poet. pag. 1449 a 18 τὸ μέγεθος ἐκ μικρῶν μύθων — ὀψὲ ἀπεσεμνύνθη; refutanda est opinio Mommsenii, 'Trilogia Aeschylea in Aristotelis poetica suo loco invenitur', Zeitschr. für Alterthumsw. 1845 suppl. 16 pag. 121, qui verba ἔτι δὲ τὸ μέγεθος ἐκ μικρῶν μύθων cum præcedentibus τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς (sc. παρεσκεύασεν) conjuncta ad artem Sophocleam referenda esse putat.

[4] V. pag. 34.

αὐτόν[1]; cfr v. 774 ἦ 'μὸς παῖς σ' ἀπαλλάξει κακῶν; τρίτος γε γένναν πρὸς δέκ' ἄλλαισιν γοναῖς. Et in 'Prometheo vincto' et in 'Prometheo soluto' ex diis inferioris ordinis chorum constitisse scimus, in priore ex Oceanidibus[2], in posteriore e Titanibus[3]. — Constat igitur chorum, e cujus canticis tragoedia Græcorum orta erat quique diu vel maximas partes in tragoedia agebat, utpote qui in orchestra perpetuo rebus adesset, actioni tragoediæ plerumque imposuisse circumscriptionem talem temporis, qualem animadvertit Aristoteles[4]. Sin cui poetæ poscente argumento res intervallo quodam temporis distantes oculis spectatorum subjiciendæ erant, ei necesse fuit, ne præsentia chori spectatores offenderet, aut licentia quadam poetica utentem res re vera minore majoreve temporis intervallo distantes inter se conjungere proinde ac si tempore cohærerent, aut prætextu quodam chorum ex orchestra summovere. Hac ratione utenti poetæ tum mutatio scenæ facienda erat novumque prætextum chori inducendi inveniendum, cujus rei facultas raro dabatur per argumenta fabularum græcarum, quippe quæ plerumque

[1] Cfr Strabon. XI, 5 τοῦ Ἡρακλέους καὶ τὸν Προμηθέα λῦσαι λεγομένου χιλιάσιν ἐτῶν ὕστερον; Hygin. Poet. astr. 2, 15, pag. 456.

[2] V. 140 seqq.

[3] Cicero, Tuscul. II, 10, 23 seqq.; cfr ea, quæ de 'Eumenidibus' Aeschyli infra disputata sunt.

[4] Hoc iam sæpissime viri docti monuerunt; cfr Lessing, l. c. cap. 46 pag. 193, qui ita disserit: 'da ihre Handlungen eine Menge Volks zum Zeugen haben mussten, und diese Menge immer die nämliche blieb, welche sich weder weiter von ihren Wohnungen entfernen noch länger aus denselben wegbleiben konnte, als man gewöhnlichermassen der blossen Neugierde wegen zu thun pflegt: so konnten sie fast nicht anders, als den Ort auf einen und ebendenselben individuellen Platz, und die Zeit auf einen und ebendenselben Tag einschränken'; A. W. Schlegel, l. c. I pag. 77, II pag. 26, Bernhardy, 'Grundriss der griechischen Litteratur', II pag. 675; E. Müller, 'Theorie der Kunst bei den Alten', Bresl. 1834, II pag. 168 seqq.; Witzschel, 'Die tragische Bühne in Athen', Jena 1847, pag. 69; Jungwirth, l. c. pag. 15 seqq.; Döring, l. c. pag. 235; Bergk, l. c. III pag. 201 seqq.; Sittl, l. c. III pag. 229 seqq.; Croiset, l. c. III pag. 129 seqq.: Schück, 'Världslitteraturens historia', Sthlm 1900, I pag. 195 seqq.

satis simplices essent. Utramque rationem ab Aeschylo in 'Orestea' adhibitam invenimus[1], illam in *'Agamemnone'*, hanc in *'Eumenidibus'*.

In *'Agamemnone'* caput argumenti — τὸ μέσον τοῦ πράγματος — continetur cæde Agamemnonis, quæ perpetranda erat, cum rex e bello Troiano redisset. Incipit igitur tragoedia apte ab expugnatione Troiæ, qua facultas redeundi parata est. Hujus rei fama significatione pyrarum incensarum eadem qua urbs expugnata est nocte Mycenas perlata chorum colligit. Prius quam hæc fama ad omnes cives pervenit (in epodo primi stasimi legitur v. 481 πυρὸς ὑπ' εὐαγγέλου πόλιν διήκει θοὰ βάξις), Talthybius præco Agamemnonis adest nuntiatum, regem advenisse, v. 535 ἄναξ Ἀτρείδης πρέσβυς εὐδαίμων ἀνὴρ ἥκει. Apparet omnia, quæ inter expugnationem Troiæ et reditum regis evenisse comperimus, eversionem dico urbis expugnatæ, cfr vv. 333—358, 801—819, discordiam inter proceres Argivorum ortam, de qua Agamemno loqui videtur v. 828—833[2], tempestatem redeuntibus perniciosam, quam præco satis multis verbis describit vv. 641—685 quamque ipse μακρὸν πῆμα appellat v. 634, — apparet dico totum tempus, quod hæ omnes res necessario explent, a poeta quasi contemptim prætermissum esse. Et id quidem iam antiquis temporibus animadversum atque ab hominibus quibusdam putidis vituperatum esse docet scholium versui 505 adscriptum: τινὲς μέμφονται τῷ ποιητῇ ὅτι αὐθη-

[1] De hac re fuse disputaverunt Verrall, The 'Agamemnon' of Aeschylus, London 1889, Introduct. pag. 15 seqq.; Seymour, 'On the duration of the action of the Orestean Trilogy', Class. Review 1894 pag. 438 seqq.; Dyer, 'The plot of the Agamemnon', Harvard Studies VII pag. 95 seqq.; Furness, 'A new Variorum Edition of Shakespeare', vol. VII pag. 342 seqq ; breviter eam perstrinxerunt A. W. Schlegel, l. c. I pag. 95, II pag. 26, K. Otfr. Müller, 'Aeschylos Eumeniden', Gött. 1833, pag. 106, Bernhardy, l. c. II pag. 688, Sittl, l. c. III pag. 232, Croiset, l. c. III pag. 130, Schück, l. c. I pag. 195. Wecklein, 'Äschylos' Orestie', Leipz. 1888, Einleit. pag. 23, alii.

[2] Cfr. Hom. γ, 136 seqq.

μερὸν [ἐκ Τροίας] ποιεῖ τοὺς Ἕλληνας ἥκοντας[1]. Nuper Verrall[2] fuse diserteque exposuit, hanc 'difficultatem' majorem esse quam quæ tolerari possit. Quamobrem novam quandam meaque sententia satis audacem viam constituendi argumenti ingressus prædicat, ea quæ a Clytæmestra de pyris narrentur quasi Troiam captam esse significaverint v. 294—326, ab ea ementita esse[3], ut chorum ceterosque regis amicos, inter quos fuit 'custos' ille, qui prologum pronuntiat, falleret, cum re vera incensio unius solum pyræ — ejusque in monte Arachnæo exstructæ — significavisset, regiam navem a speculatoribus conjuratorum in alto appropinquantem conspectam esse Aegisthumque præsto esse, reginamque monuisset, ut cum amicis suis quæ convenissent perageret[4]. Si argumentem hoc modo constituerimus, summovebitur sane 'difficultas' illa, quæ ad tempus actionis repræsentatæ pertinet, sed alia quædam difficultas exsistet, idque etiam Verrall quodammodo concessisse mihi videtur[5]. Hæc autem difficultas mea quidem sententia tanta tamque gravis est, ut ea, nisi omnino fallor, interpretatio Verrallii plane refutetur. Nam cum chorus, quem ex amicis regis fidelibus constitisse omnes consentiunt, intrante præcone reditumque regis nuntiante statim perspexisset — id quod in re tam aperta eum facere necesse erat — se a regina, quod ad

[1] De ætate hujus scholii cfr Dyer, l. c. pag. 97.

[2] L. c. Introd. pag. 15 seqq.

[3] Quæstionem, utrum ejusmodi significatio, qualem describit Clytæmestra, possibilis fuerit necne, in re ficta parvi momenti esse puto; cfr de hac quæstione Merriam, 'Telegraphing among the Ancients', Papers of the Archæological Institute of America, Class. Ser. III, 1; Paley, 'Aeschyli Trag.' London 1879, 'Agam.' not. ad. v. 276.

[4] Pag. 41: 'The news of the king's approach was instantly carried to the neighbouring eastern hills, and it was still night when the watchman from the palace saw the beacon upon Mount Arachnæus and carried to his mistress the news, as he supposed, that Troy had fallen, in reality that the king had come, that Aegisthus was ready, and that she and their partizans throughout the Argolid (for the light could be seen far and wide) were to act as had been pre-arranged'.

[4] Cfr ea, quæ scripsit pag. 59.

significationem pyrarum pertineret, manifesto mendacio deceptum esse, fieri non potuit, quin fraudulentia reginæ detecta statim suspicari inciperet regi dolum quendam necti. Qua suspicione exorta fieri non potuit, quin aliquam certe fraudis detectæ mentionem chorus admonendi causa faceret vel ad regem ipsum intrantem vel potius ad præconem, cum quo bis sine arbitris colloquitur v. 494—591 v. 620—685[1]. Aeschylum, si admonitiones chori stupore rei inopinatæ et, ut ita dicam, celeritate rerum oppressas repræsentare voluisset, præconem certe non inducturum fuisse, pro certo affirmare audeo[2]. Præterea animadvertendum est chorum, cum præconem appropinquantem videt, statim colligere, hunc res summi discriminis nuntiatum i. e. ex Troia venire, neque ullum signum admirationis hac re motæ, quantum equidem videre possum, edere. Neque vero credibile est, chorum, quippe qui in extrema tragoediæ parte cum Aegistho mercenariisque ejus manus conserere non abnuat[3], ignavia quadam vel verecundia reginæ manifesto fraudulentæ admonitiones suas compressisse. Neque vero Verrall, quantum equidem video, hanc difficultatem probabili modo explicare potuit. At 'difficultatem' summovere aliam difficultatem multo majorem

[1] Nam quod disseruit Verrall, Introd. pag. 47 seqq., Append. J., Class. Rev. IV pag. 3—6, de custodibus quibusdam choro appositis, quos conjuratos Clytæmestræ fuisse vult atque a poeta παραχορήγημα adhibente inductos, quantum ego video, omnino in conjectura positum est. Ceterum plane incredibile est, Clytæmestram, si magnus conjuratorum numerus ei suppeditavisset, 'custodem' illum, de quo dixi, e fidelibus regis amicis electuram fuisse. Ceterum animadverto non esse inventum Verallii in hanc fabulam mutas personas reginam sequentes inducere, quarum iam Franz, 'Des Aeschylos' Oresteia' Lpg 1846, secundum Droysenium satis magnum numerum induxit! Sed hæc G. Hermann in commentatione sua 'de re scenica in Aeschyli Orestea', Aesch. Trag. II pag. 648, 9, 51, paucis quidem sed gravibus verbis ut 'magnifica luxuriantis ingenii commenta' refutavit. 'Nemo nisi ipsa regina prodit, quam duæ comitantur famulæ, ut mos est'. Hermann.

[2] Quamquam concedo, usitatissimum esse in tragoediis præcones a regibus præmitti.

[3] Cfr Wecklein, l. c. pag. 25.

gravioremque substituendo, quæ præterea actionem ipsam improbabilem reddat, mihi quidem non placet. Aliam difficultatem, quæ ex interpretatione Verrallii oritur, A. Platt [1] — strenuus ille quidem Verrallii laudator — animadvertit ita disputando: 'If dr Verrall is right, the conspirators had information from Troy. Why then watch for a year? They need not have begun watching till they heard of the capture of Troy. The inconsistency is that 1) they had news continually 2) they fear they may be taken unawares'. Porro — et hoc quidem vel maximi est momenti — interpretatio Verrallii, ut quæ constituerit argumentum tam implicatum obscurumque, quod nemo adhuc vel nostra ætate vel antiquo tempore intellexerit, quantum discrepet a simplicitate atque, ut ita dicam, antiquitate poesis Aeschyleæ, neminem fugerit. Immo vero revertendum est ad argumentum Byzantinorum, ubi hæc sunt: Ἀγαμέμνων εἰς Ἴλιον ἀπιὼν τῇ Κλυταιμήστρᾳ, εἰ πορθήσοι τὸ Ἴλιον, ὑπέσχετο τῆς αὐτῆς ἡμέρας σημαίνειν διὰ τοῦ πυρσοῦ· ὅθεν σκοπὸν ἐκάθισεν ἐπὶ μισθῷ Κλυταιμήστρα, ἵνα τηροίη τὸν πυρσόν· καὶ ὁ μὲν ἰδὼν ἀπήγγειλεν, αὐτὴ δὲ τῶν πρεσβυτῶν ὄχλον μεταπέμπεται, περὶ τοῦ πυρσοῦ ἐροῦσα· ἐξ ὧν καὶ ὁ χορὸς συνίσταται· οἵτινες ἀκούσαντες παιανίζουσιν. μετ' οὐ πολὺ δὲ καὶ Ταλθύβιος παραγίνεται κ. τ. λ. Apparet Aeschylum a spectatoribus hujus fabulæ desideravisse, ut satis prompta atque benigna imaginatione hoc intervallum temporis negligerent [2]. Neque vero spectatoribus fabularum, quantum equidem videre possum, multo difficilius fuit sibi fingere ejusmodi temporis intervallum quantumlibet præterisse, dum chorus stasima sua caneret, quam aulæo, ut in nostris scenis fit, summisso. Quod ad 'Agamemnonem' proprie attinet, hoc

[1] Class. Review IV pag. 99.

[2] Cfr Schlegel, l. c. pag. 95: 'Man sieht leicht ein, wie wenig der Dichter die Einheit der Zeit beobachtet hat, wie er sich vielmehr des Vorrechtes seiner geistigen Herrschaft über die natürlichen Dinge bedient, und die kreisenden Stunden in ihrem Laufe seinem furchtbaren Ziel entgegen beflügelt'. Haud dissimili ratione composita est fabula Sophoclea, quæ inscribitur 'Trachiniæ', de qua v. infra pag.

difficilius quodammodo fieri concedendum est, quod in scena omnia ita repræsentantur, ut unius atque ejusdem diei matutino tempore evenisse videantur[1]. Quo autem consilio Aeschylus tragoediam suam sic composuerit, triumphum Agamemnonis eversione Troiæ partum non narratione modo in tragoediis græcis usitata, sed quam maxime potuit manifesta et vivida repræsentatione tanquam oculis spectatorum subjiciens, nempe ut hunc — triumphum Agamemnonis dico — maxime contrarium miserabili ejusdem cædi in patria perpetratæ opponeret, per se satis dilucidum est deque hac re copiose diserteque disputaverunt auctores nonnulli[2]. Item quo artificio poeta noster attentionem spectatorum a

[1] Cfr ea, quæ de hac re subtiliter disputavit Croiset, l. c. III pag. 130: 'On pourrait dire, qu'ils (les poètes tragiques) disposaient de deux sortes de durée, l'une réelle, dans les épisodes, l'autre toute idéale, pendant les stasima. C'est ainsi par exemple que, pendant le premier stasimon de l'Agamemnon, l'armée argienne revient de Troie à Argos, bien que dans le palais, pendant le même chant, il ne se passe rien que de très rapide. Il est visible que *là le même temps apparent n'a pas la même valeur pour les divers acteurs de la pièce,* ce qui revient à dire qu'entre les deux épisodes la notion même du temps est comme suspendue'. E commentatoribus Shakespearii, qui in fabulis hujus poetæ ejusmodi aliquid observaverunt, id quod dixerunt 'Shakespeare's Double Time', Furness, l. c. pag. 344, ab hac parte argute comparat 'Agamemnonem' Aeschyli cum fabula Shakespeariana, quæ inscribitur 'The Merchant of Venice': 'The time during wich the Chorus is on the stage is Aeschylus's 'Short Time', and corresponds to Bassanio's journey from Venice to Belmont. Aeschylus's 'Long Time' is Agamemnon's week's voyage from Troy to Argos, corresponding to Antonio's three month's bond. The same power that can compress three months at Venice into on day at Belmont, must expand a few hours at Argos into a se'en nights' voyage from Troy'.

[2] Sic Schlegel, l. c. I pag. 94: 'Im Agamemnon hat Aeschylus uns den plötzlichen Sturz vom höchsten Gipfel des Glückes und Ruhmes in den Abgrund des Verderbens zeigen wollen. — — Der Absicht gemäss, einen so entsetzlichen Glückswechsel auffallend zu machen, musste der Dichter zuvörderst die Eroberung Troias verherrlichen. Er hat dies in der ersten Hälfte des Stückes auf eine eigenthümliche, wenn man will sonderbare, aber gewiss nachdrückliche und die Einbildungskraft ergreifende Weise gethan'.

lapsu temporis incredibili, qui in hac fabula inest, averterit ad ipsam materiem potius tragoediæ — fatum dico Agamemnonis — considerandam, copiose explicaverunt viri docti Dyer et Furness[1], qui de hac re elegantissime disputavit. Quamobrem de hac re plura disserere mihi non libet, ne ea, quæ iam a viris illis doctissimis disputata sunt, repetere videar; unum tantum ad ea, quæ iam animadversa sunt, adjectum velim: argumentum hujus fabulæ ita componendo, ut et anxia exspectatio domi remanentium et primus lætus nuntius victoriæ partæ et reditus regis gloriosus et mors ejusdem miserabilis oculis spectatorum subjecta tanquam intra unum solis ambitum comprimerentur, poeta noster expetivisse mihi videtur poeticum quendam effectum, ut nonnullis locis satis conspicue occurrit, hoc fere modo: in illa nocte atra, quæ propter curam ad bellum proficiscentium Græciæ ingruit, 'custos' ille, qui prologum pronuntiat, significationem pyræ conspicatus tanquam primum spei fulgorem salutat, ut qui portendat, futurum brevi esse, ut dies illucescat, v. 22 ὦ χαῖρε, λαμπτὴρ νυκτός, ἡμερήσιον φάος πιφαύσκων; adveniente præcone quasi aurora faustioris diei Græciæ oritur, v. 276 εὐάγγελος ἕως γένοιτο μητρὸς εὐφρόνης πάρα, v. 497 τερπνὸν τόδ' ἐλθὸν φῶς; intrante Agamemnone quasi sol prosperitatis medio fulget cælo, v. 527 ἥκει ἡμῖν φῶς ἐν εὐφρόνῃ φέρων, v. 606 τί γυναικὶ τούτου φέγγος ἥδιον δρακεῖν[2], v. 891 κάλλιστον ἦμαρ εἰσιδεῖν ἐκ χείματος; in ædibus autem regiis subsidet imminens pernicies, cujus ictu sollerter directo sol vitalis herois ad occasum vergit, v. 1111 καιρία (sc. ἄτα) πτωσίμοις ξυνανύτει βίου δύντος αὐγαῖς; tenebræ tristiores quam antea morte Agamemnonis domui regiæ ingruunt, cfr Choëph. v. 50 seqq. ἀνήλιοι βροτοστυγεῖς δνόφοι καλύπτουσι δόμους δεσποτῶν θανάτοισι; optatque chorus, ut æterno somno sopitus malis liberetur, v. 1452 μόλοι τὸν αἰεὶ φέρουσ' ὄνησιν Μοῖρ' ἀτέλευτον ὕπνον, δαμέντος φύλακος εὐμενεστάτου.

[1] Dyer, l. c. pag. 119 seqq.: Furness, l. c. pag. 343 seqq.

[2] 'φέγγος, Tag, bei τούτου mehr im Sinne von Glück". Wecklein.

Argumentum 'Choëphororum' simplicius est. Continet cædem Clytæmestræ Aegisthique, ad quam patrandam Orestes Delphis venit. Apparet tamen tragoediam e duabus partibus constitisse limite non obscuro divisis, quarum priore, v. 1—582, agnitio Orestis Electræque et præparatio cædis repræsentantur; hæc ad tumulum Agamemnonis aguntur. Concludere licet, hæc matutino diei tempore acta esse, ex eo, quod Electra cum famulis, e quibus chorus constat, ut manes regis occisi inferiis placet, mittitur a Clytæmestra, ut quæ somnio exterrita sit et malum omen avertere statim decreverit, v. 533 seqq. ἣ δ' ἐξ ὕπνου κέκλαγγεν ἐπτοημένη. | πολλοὶ δ' ἀνῆθον, ἐκτυφλωθέντες σκότῳ λαμπτῆρες ἐν δόμοισι δεσποίνης χάριν· | πέμπει τ' ἔπειτα τάσδε κηδείους χοάς [1]. Cum autem Orestes aliena veste occultatus cum Pylade iterum intrat, ut cædem perficiat, diem iam vesperascere comperimus. v. 656 seqq. τάχυνε δ', ὡς καὶ νυκτὸς ἅρμ' ἐπείγεται | σκοτεινόν, ὥρα δ' ἐμπόρους καθιέναι | ἄγκυραν ἐν δόμοισι πανδόκοις ξένων. | v. 706 seqq. ἀλλ' ἔσθ' ὁ καιρὸς ἡμερεύοντας [2] ξένους | μακρᾶς κελεύθου τυγχάνειν τὰ πρόσφορα; cfr etiam v. 664 seqq. His apparet, actionem tragoediæ, quod ad tempus attinet, continuam non esse, sed spectatores sibi fingere debere, reliquum diei tempus inter duo illa episodia præterisse [3], et id quidem, dum chorus stasimum v. 583—648 canat [4]. Cum hac fictione apte cohæret, quod eodem tempore, ut mihi persuasi, mutatio scenæ quodam modo facta est [5]; posteriorem

[1] Cfr Todt, 'Ueber den scenenwechsel in den Eumeniden des Aeschylos, über die stiftungsrede der Athene ebendas. v. 681—710, und über den scenenwechsel in den Choephoren', Philol. 41, pag. 224: — 'nach vielen Andeutungen des ersten Aktes muss man annehmen, dass Klytaimestra das versöhnende Opfer so bald nach ihrem Traume als möglich, also am frühen Morgen entsendete'.

[2] Poll. I, 64: τὸ δι' ὅλης τι πρᾶξαι ἡμέρας ἡμερεῦσαι· ἡμερεύοντες hoc igitur loco = 'qui totum per diem ambulaverunt'.

[3] Cfr Sittl, l. c. III pag. 230 nota 4; Todt, l. c. pag. 224.

[4] Cfr pag. 13.

[5] Quamquam de hac re viros doctissimos in diversas sententias isse bene scio. Hermann, quem secuti sunt editores nonnulli Aeschyli, in dissertatione 'de re scenica in Aeschyli Orestea' Aesch. Trag. II

enim tragoediæ partem ante domum regiam actam esse constat. Unde fortasse etiam illud pendet, quod hoc stasi-

pag. 653, contendit, hoc loco mutationem scenæ factam non esse. Itaque constituit sepulcrum Agamemnonis 'in margine proscenii' repræsentatum fuisse, ut ante ipsas portas, nisi fallor, ædium Pelopidarum situm esset; quod quam incredibile sit, satis puto apparere ex iis, quæ disputaverunt Schoenborn, 'Die Skene der Hellenen', pag. 222 seqq. Todt, l. c. pag. 222 seqq., quorum argumentationem ego quidem satis superque sufficere credo ad persuadendum, mutationem quandam scenæ hoc loco factam esse. Sententiam Hermanni secutus postea Nilsson, 'de mutationibus scenæ, quæ sunt in fabulis Græcorum', diss. Lund. 1884, pag. 14 seqq., argumentis Schoenbornii et Todtii infringendis, ut mihi videtur, nequiquam operam dedit. Ceterum nonnulla, quæ illi disputaverunt, obsoleta quodammodo nobis videantur necesse est, ut qui de rebus scenicis melius edocti simus inventis, quæ nuper in hac doctrina proposuerunt viri doctissimi, inter quos maxime excelluerunt Dörpfeld et Reisch, 'Das griechische Theater', Athen 1896. Hujus libri pag. 250 Reisch eorum opinionem refellere videtur, qui mutationem scenæ hoc loco factam esse censent, ut qui ita disputaverit: 'Die Erwägung, dass Klytaimestra das Grab des von ihr ermordeten Agamemnon doch kaum in solcher Nähe ihres Hauses errichtet haben dürfte, ist weder dem Aischylos noch seinen Zuhörerkreis gekommen. Man war noch gewöhnt, den Dichter mit dem Spielplatze wie mit einem idealen Raume schalten zu lassen; — Sophokles hat in seiner 'Elektra' das Grab des Agamemnon ausserhalb des Spielplatzes versetzt (1457, 1464), da für ihn die Orchestra nur noch der zum Palaste gehörige Vorplatz war'. Sed cum in 'Choëphoris' orchestra eundem locum repræsentaret eadem domo imminente insignem atque a ceteris locis distinctum, qui *Sophocli* 'nur noch der zum Palaste gehörige Vorplatz war', quomodo *Aeschylo* non ita multis fortasse annis ante 'Choëphoros' docenti licuerit 'mit dem Spielplatze wie mit einem idealen Raume schalten', equidem non intellego. Præterea nihil invenio, quod prohibeat, quominus mutatio scenæ hoc loco facta satis bene quadret ad suspicionem nostram, qualis fuerit scena Aeschylea tum, cum 'Orestea' acta sit. Quo autem modo hæc scenæ mutatio facta sit, animo mihi fingere conatus sum: scena *ductilis* (de hac v. Servium ad. Verg. Georg. III, 24: 'scena — erat — ductilis tum, cum tractis tabulatis [huc atque illuc] species picturæ notabatur [nudabatur] interior', Dörpfeld-Reisch, l. c. pag. 72, pag. 138, 9, Tafel IV, fig. 54, 55; Schück, l. c. pag. 134), in qua depicta erant loca quædam agrestia sepulcrum Agamemnonis circumjacentia (de scenographia iam ab Aeschylo adhibita v. Vitruv. VII, præf. 11), retrahebatur in parascenia, quæ iam tum fuisse credere licet (Dörpfeld-Reisch pag. 202), quo factum est, ut nudaretur ipsa paries τῆς σκηνῆς, qua

mum digressionem ab argumento tragoediæ continet choro de fabulis Althææ Scyllæ Lemniarumque mulierum commemorante, ut attentio spectatorum ab ipsa actione quodammodo averti videatur. Fingendum igitur est in extrema tragoediæ parte cædem nocturno tempore perfici[1]: incolæ domus regiæ exceptis famulis, e quibus chorus constitit, somno sopiuntur (v. 880 famulum, qui Aegistho occiso tumultuatur, exclamantem audimus: κωφοῖς ἀϋτῶ καὶ καθεύ-

regia domus repræsentabatur (eodem fere modo igitur, quo ex sententia Reischii, l. c. pag. 212, 14, mutatio illa scenæ, quæ inest in 'Ajace', fabula fere æquali, facta est) i. e. spectatores sibi fingere debebant, chorum a sepulcro Agamemnonis ad regiam reverti, ut ante eam eventum insidiarum exspectaret. Quod ad sepulcrum attinet, quod prope parodum, ut placuit Reischio, pag. 250, situm fuisse vix crediderim propter ea, quæ disputaverunt Todt, l. c. pag. 222, Nilsson, l. c. pag. 21, neque an omnino e conspectu remotum sit neque, si ita est, quo modo (Todt: 'sei es mittels einer versenkung, sei es mittels zurückziehung durch die mittelthür'), colligere ausim, cum inventa virorum doctorum ad ejusmodi conjecturam materiem non præbeant; ceterum nihil video, cur non sepulcrum ut Todtio placuit 'mittels einer Versenkung' — nam alterum illud, quod proposuit auctor doctissimus, plane ridiculum esset — a conspectu amoveri potuerit in loca quædam subterranea (cfr Dörpfeld pag. 57—9), eodem fere modo, quo rupes, ad quam deligatus est Prometheus, in inferna devehitur (cfr Dörpfeld-Reisch pag. 198). Quod ad chorum pertinet, sententiæ Schoenbornii et Todtii accedere non possum prædicantium, chorum, postquam stasimum 583—648 cecinerit, ex orchestra discessisse et tum ad v. demum 715 iterum intravisse; nam et res postulare videtur, ut chorum sermoni Clytæmestræ Orestisque v. 648—714 interfuisse putemus (ut comprobavit Nilsson, l. c. pag. 23), neque veró credibile est, chorum, postquam ad v. 648 orchestram reliquit, iam ad v. 649 iterum intrare; quæ cum ita sint, mihi persuadeo, mutationem scenæ, de qua dixi, factam esse *choro in orchestra remanente* (ejusdem sententiæ est Sittl, de quo v. l. c. pag. 230) et quidem, dum strophas ultimas canit, ordines suos a sepulcro, quod ad id tempus circumstabat, regiam versus explicante, qua re reditus ad regiam spectatori significaretur. Hæc igitur scenæ mutatio, si quidem recte disserui, ejusmodi est, qualem nos dicere solemus 'mutationem scenæ sublato aulæo factam' ('scenförändring för öppen ridå').

[1] Cfr Hygin. fab. 111, 9: 'occasione capta Orestes cum Pylade *noctu* Clytemnestram matrem et Aegisthum interficiunt'; quæ verba ad descriptionem, quam præbet nostra fabula, spectare mihi persuadeo.

δουσιν μάτην ἄκραντα βάζω); regina sola vigilat, ut nocturnum sermonem de morte Orestis, quam nuntiaverunt hospites, cum Aegistho ineat (v. 712 seqq.); qui postquam advenit, directo in cubiculum hospitale ingressus, ut ipse in advenas de morte Orestis inquirat, occiditur. Videlicet poeta tragoediam sic disposuit oeconomiæ dramaticæ causa[1]. Ceterum hanc fabulam ad verba Aristotelis pag. 1 citata satis bene quadrare apparet.

In *'Eumenidibus'* mutationem scenæ proprie dictam inter v. 234 et v. 235 factam esse omnes consentiunt[2]. Quæ ut commode fieret, prius orchestra, ut supra dixi pag. 9, poetæ choro remoto vacua facienda erat[3] et tum chorus iterum inducendus. Apparet poetæ licuisse ejusmodi scenæ mutationi intercapedinem temporis quantamlibet conjungere, cum non iam præsentia chori actionem continuam repræsentare cogeretur. Qua licentia Aeschylum hoc loco usum esse videmus utpote indicantem, inter duo illa episodia, quæ hac scenæ mutatione separantur, longum temporis spatium præterisse, quo matricida ille ex deorum hominumque communitate prope exterminatus, quem videmus describique audimus v. 1—234, multas terras multaque maria pervagans piaculis atque aliorum hominum consuetudine purgatus paulatim contagione liberaretur. Quos errores per longum tempus duravisse apparet e vv. 75 seqq., quibus Apollo Orestem certiorem facit, eum Furias diu crudeliterque persecuturas esse, cohortaturque, ne ante tempus defatigetur; — φεῦγε

[1] Forsitan etiam poeticum quendam effectum expetens, de quo cfr infra pag. 66 cfr etiam v. Wilamowitz, 'Aesch. Choëph.', Berlin 1896, Introd. pag. 41, pag. 46: 'ohne zweifel ist das für die phantasie äusserst wirkungsvoll; das grauenvolle steigt ungemein durch die stille und das dunkel der nacht. dennoch bleibt es höchst merkwürdig, dass die phantasie des tragikers weit über die mittel hinaus, die ihm für die aufführung zu gebote stehn, scenische bilder erfasst und gestaltet hat.'

[2] De qua v. præter auctores pag. 10 citatos Todt, l. c. pag. 207, Nilsson, l. c. pag. 26, K. Otfr. Müller, l. c. pag. 106, alios.

[3] Cfr schol. Sophocl. Aj. v. 814 μετακινεῖται ἡ σκηνὴ τοῦ χοροῦ ἐξελθόντος.

μηδὲ μαλθακὸς γένῃ. | ἐλῶσι γάρ σε, κἂν δι' ἠπείρου μακρᾶς | βεβὼς ἀμείψῃς τὴν πλανοστιβῆ χθόνα, ὑπέρ τε πόντον καὶ περιρρύτας πόλεις. | καὶ μὴ πρόκαμνε τόνδε βουκολούμενος | πόνον· collatis cum v. 236 seqq., quibus Orestes errores suos iam peractos describit, δέχου πρευμενῶς ἀλάστορα, οὐ προστρόπαιον οὐδ' ἀφοίβαντον χέρα, | ἀλλ' ἀμβλὺς ἤδη προστετριμμένος τε πρὸς | ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασιν βροτῶν, | ὅμοια χέρσον καὶ θάλασσαν ἐκπερῶν | πρόσειμι δῶμα καὶ βρέτας τὸ σόν, θεά, etc. et v. 249 seqq. choro dicente: χθονὸς πᾶς πεποίμανται τόπος· | ὑπέρ τε πόντον ἀπτέροις ποτήμασιν | ἦλθον διώκουσ', οὐδὲν ὑστέρα νεώς. item, quod ad purgationem interim peractam attinet, cum v. 454 πάλαι πρὸς ἄλλοις ταῦτ' ἀφιερώμεθα | οἴκοισι. Quos errores ne nobis fingamus Orestem exantlavisse, priusquam Delphos pervenerit, prohibent verba Apollinis supra citata, in quibus animadvertendum est futurum ἐλῶσι; apparet Orestem cæde perpetrata statim Delphos avolavisse; quo postquam pervenit, manibus gladioque etiamtum cruore nuper effuso stillantibus ad umbilicum considit, v. 41 seqq. ὁρῶ δ' ἐπ' ὀμφαλῷ μὲν ἄνδρα θεομυσῆ | ἕδραν ἔχοντα προστρόπαιον, αἵματι στάζοντα χεῖρας καὶ νεοσπαδὲς[1] ξίφος | ἔχοντα. unde apparet, cædem paulo ante peractam esse, ut animadvertit scholiasta ad v. 42 στάζοντα χεῖρας | ἐμφατικῶς· τοῦτο νεωστὶ αὐθεντηκότα παρίστησι: porro Orestes v. 282 sanguinem tum, cum Delphos pervenisset, nuper effusum (ποταίνιον) fuisse dicit; item v. 204 ὑπέστης (Apollo) αἵματος δέκτωρ νέου[2]; denique in extrema 'Choëphororum' parte Orestes insignibus supplicis iam sumptis indicat se in animo habere Delphos recta pergere, v. 1032 καὶ νῦν ὁρᾶτέ μ', ὡς παρεσκευασμένος | ξὺν τῷδε θαλλῷ καὶ

[1] νεοσπαδές (Burges conj. νεοσταγές) 'gezückt und von frischem Blut gerötet'. Wecklein; cfr schol. v. 64 τὸ μὲν ξίφος ᾑμαγμένον ἔτι κατέχων Ὀρέστης — item v. 163 Δίκας θρόνον φονολιβῆ θρόμβων περὶ πόδα, περὶ κάρα; schol. ib. τὸν θρόνον, οὗ Ὀρέστης καθῆστο, πάρεστιν ὁρᾶν φονολιβῆ ἀπὸ ποδῶν ἕως κεφαλῆς ὅλον.

[2] 'Du nahmst es auf dich, *dem frischen Morde* eine Zuflucht zu bieten'. Wecklein.

στέφει προσίξομαι — Λοξίου πέδον — οὐδ' ἐφ' ἑστίαν ἄλλην τραπέσθαι Λοξίας ἐφίετο[1]. Constat igitur fingendum esse in hac fabula Aeschylea inter v. 234 et v. 235 Orestem errores, quos describit, perpessum esse. Hi errores ad quid valuerunt? Errans Orestes contagione materni sanguinis paulatim purgabatur. Neque enim purgatio ab Apolline perfecta (de qua v. 280 seqq. βρίζει αἷμα καὶ μαραίνεται χερός, | μητροκτόνον μίασμα δ' ἔκπλυτον πέλει. | ποταίνιον γὰρ ὂν πρὸς ἑστίᾳ θεοῦ Φοίβου καθαρμοῖς ἠλάθη χοιροκτόνοις, quamque inter v. 34 et v. 63 peractam esse apparet) suffecit ad matricidam omnino purgandum[2]; et quidem Aeschylus etiam alias purgationes peractas esse, nisi fallor, leviter indicavit v. 454, ubi Orestem facit dicentem: ἀφιερώμεθα πρὸς ἄλλοις οἴκοις[3]; hoc

[1] In introductione igitur WECKLEINII pag. 16, ubi est: 'Orestes kommt, von den Erinyen verfolgt, *endlich* nach Delphi'; verbum, quod est 'endlich', non recte positum est.

[2] Cfr HÖFER apud ROSCHERUM, Lex. Myth. 'Orestes', vol. III, 1 col. 978: 'Hier (in Eumenidibus) tritt Apollons Ohnmacht zu Tage, nicht er kann den Mörder entsühnen, und so muss er denn dem Orestes rathen, sich schutzflehend nach der Stadt der Pallas zu wenden' etc.

[3] Cfr K. OTFR. MÜLLER, l. c. pag. 150: 'Auch Aeschylos nimmt mehrere Reinigungen an, die erste und vorzüglichste, sehr bald nach der Mordthat, zu Delphi; aber auf mehrere deutet offenbar die Stelle 429 (454): 'So bin ich längst indess vor Andrer Wohnungen durch Opferschlachtung, wie durch Wasserguss gesühnt''; v. etiam DYER, l. c. pag. 112: 'in the Eumenides he (Aeschylos) *insists* upon the long period required for the preliminary purgation of Orestes before he could finally escape by a formal trial and acquittal' et ea, quæ sequuntur; MÜLLER v. 75 seqq., 249 seqq., ubi est, Orestem trans mare nave vectum esse, ad peregrinationem ejus Rheginam spectare suspicatur; quod vix mihi persuaserim, præsertim cum Orestem Rhegium profectum esse post peregrinationem Tauricam antiqui fama ferrent, v. Varronem et Catonem apud Probum ad Vergilium pag. 3, 4 ed. KEIL, Schol. in Theocritum, II, 10 pag. 1 ed. DÜBNER; equidem potius crediderim — quamquam id plane in conjectura positum est — hos versus referendos esse ad errorem, quo Orestem mare Aegæum trajecisse memorabant, de quo Apollod. fragm. Sabbait. 6, 27: ἔνιοι δὲ αὐτὸν κατὰ χειμῶνα προσενεχθῆναι τῇ νήσῳ Ῥόδῳ λέγουσιν — [αὐτὸν] καὶ κατὰ χρησμὸν ἐν τείχει καθοσιωθῆναι; cfr Eumen. v. 75 ἐλῶσι γάρ σε — ὑπέρ τε πόντον καὶ περιρρύτας πόλεις; quamquam et hunc errorem fama posteriorum cum peregrinatione Taurica conjunxit.

enim loco ἄλλοι οἶκοι verum non poeticum pluralem esse mihi persuasi; neque vero expressis verbis opus erat has purgationes commemorare, quippe quæ omnibus satis bene notæ essent, cum purgationes Orestis utpote magnam Græciæ partem pervagati compluribus locis peractæ per ora omnium hominum ferrentur[1]. Denique Orestes se iam dudum consuetudine aliorum hominum usum esse dicit neque iis fraudi fuisse, quod esse certissimum indicium contagionem iam sublatam esse, v. 284 seqq. πολὺς δέ μοι γένοιτ' ἂν ἐξ ἀρχῆς λόγος | ὅσοις προσῆλθον ἀβλαβεῖ ξυνουσίᾳ; cfr v. 448 seqq., v. 476 seqq. Demonstratum igitur nobis est, fingendam esse inter v. 234 et v. 235 intermissionem temporis, quæ non dies solum vel menses, sed annos potitus contineat. Quod cum omnibus, qui quidem hanc fabulam attente perlegissent, liquere oporteret, tamen nuper SEYMOUR[2] contendere

[1] De his purgationibus vulgo celebratis PAUSANIAS, II, 31, 4: τὸν δὲ ἔμπροσθεν τοῦ ναοῦ (Apollinis Troezenii) λίθον, καλούμενον δὲ ἱερόν, εἶναι λέγουσι ἐφ' οὗ ποτὲ ἄνδρες Τροιζηνίων ἐννέα Ὀρέστην ἐκάθηραν ἐπὶ τῷ φόνῳ τῆς μητρός. ibid. 8: τοῦ δὲ ἱεροῦ τοῦ Ἀπόλλωνός ἐστιν οἰκοδόμημα ἔμπροσθεν, Ὀρέστου καλούμενον σκηνή· — καθίσαντες δὲ ἐνταῦθα ἐκάθαιρον καὶ εἱστίων, ἐς ὃ ἀφήγνισαν. — καθῆραι δέ φασιν Ὀρέστην καθαρσίοις καὶ ἄλλοις καὶ ὕδατι τῷ ἀπὸ τῆς Ἵππου κρήνης; III, 22, 1: Γυθίου δὲ τρεῖς μάλιστα ἀπέχει σταδίους ἀργὸς λίθος· Ὀρέστην λέγουσι καθεσθέντα ἐπ' αὐτοῦ παύσασθαι τῆς μανίας; VIII, 34, 1: Ὀρέστην ἐπὶ τῷ φόνῳ τῆς μητρός φασιν αὐτόθι (apud Megalopolim) μανῆναι. — τούτῳ δέ ἐστιν ἕτερον συνεχὲς χωρίον Ἄκη καλούμενον, ὅτι ἐγένετο ἐν αὐτῷ τῆς νόσου τῷ Ὀρέστῃ τὰ ἰάματα. — Πελοποννησίων δὲ οἱ τὰ ἀρχαῖα μνημονεύοντες πρότερα τῷ Ὀρέστῃ τὰ ἐν Ἀρκαδίᾳ γενέσθαι φασὶν ὑπὸ Ἐρινύων τῶν Κλυταιμνήστρας ἢ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ τὴν κρίσιν; forsitan etiam VII, 25, 7: Ἐν Κερυνείᾳ δέ ἐστιν ἱερὸν Εὐμενίδων· ἱδρύσασθαι δὲ αὐτὸ Ὀρέστην λέγουσιν. (cfr *schol. Soph. Oed. Colon.* v. 42); in Epirum venisse Orestem narrat STRABO, 7, 326; apud tria flumina circa Hebrum eum se purificavisse memorat Helius Lampridius, Heliogab. 7, 7; cfr K. OTFR. MÜLLER, l. c. pag. 148 seqq. DYER, l. c. pag. 113; WIDE, 'de sacris Troezeniorum, Hermionensium, Epidauriorum', pag. 80, *ejusdem* 'Lakonische Kulte', pag. 82, 352; ROSCHER, Lex. Myth. 'Orestes', vol. III, 1 col. 985 seqq.; ROHDE, 'Psyche', Leipz. 1894, pag. 362, HERMANN, Opusc. II, 71, seqq.

[2] L. c. pag. 440.

ausus est, inter v. 234 et v. 235 nihil evenire præter fugam, qua Orestes Delphis Athenas recta pergat[1]: sed perlectis locis, quos supra citavi, hanc sententiam contra expressa atque dilucida verba poetæ plane repugnare, quis sit, quin videat? Apparet in hac fabula ejusmodi intermissionem temporis adhibere poetæ licuisse, ut cui chorus non iam ex hominibus sed ex naturis fictis constitisset, ut non iam actionem continuam repræsentare cogeretur: quapropter duo tempora errorum Orestis poeta repræsentanda elegit, unum, cum matricida Delphos vix venerat contagione sanguinis nuper effusi necdum expiati oppressus, alterum, cum iam ipsum *tempus* præteritum[2] cum vicissitudinibus, quas tempus affert, contagionem maxima ex parte sustulerat; et quidem Aeschylus ipse expresse indicavit, tempus ipsum adjumentum afferre ad scelus expiandum, v. 286 χρόνος καθαιρεῖ πάντα γηράσκων ὁμοῦ; hunc igitur versum interpolatum esse, ut decrevit Musgravius, cujus sententiam secuti sunt editores nonnulli, fidenter nego, quippe qui hanc sententiam et apte et quidem justo, nisi fallor, loco exprimat. Omnia, quæ inter duo illa tempora evenerunt, ut quæ in scena repræsentare neque liceret neque opus esset, a poeta locis, quos attuli, diserte indicata spectatoribus animo effingenda erant. Apparet hanc fabulam ad verba Aristotelis

[1] A. W. Schlegel in eadem esse videtur sententia, ut qui l. c. II pag. 26 ita dicat: 'in den Eumeniden des Aeschylus — ist — der ganze Zeitraum ausgelassen, dessen Orestes bedurfte, um sich von Delphi nach Athen zu begeben'; sed id haud scio an inconsiderate dictum sit; cujus verba cum transscriberet Jungwirth, l. c. pag. 14, in eundem incidit errorem.

[2] Cfr K. Otfr. Müller, l. c. pag. 150: 'Wie beträchtlich aber die Zeit ist, welche zwischen dem Aufenthalt in Delphi und der Ankunft in Athen zu denken dem Zuhörer zugemuthet wurde, spricht Aeschylos sehr naiv auch dadurch aus, dass, ausser den Sühnungen und dem Menschenverkehr, die Länge der Zeit selbst schon allen Makel von Orestes genommen haben soll, (276) [286]; Dyer, l. c. pag. 114 not., recte animadvertit, Oresti, cum Athenas demum (ἤδη v. 238) perveniat, ut qui iam gravissima incommodorum perpessus sit, comitatu Mercurii non iam ut Delphis proficiscenti opus esse.

pag. 1 citata omnino non quadrare: quod cum ita sit, haud scio an viris doctis [1] assentiendum putem, dictum Aristotelis, tragoediam initio item ut epopoeiam tempore indefinitam fuisse (v. pag. 1) ad hanc fabulam referentibus [2].

Cum 'Orestea' unica trilogia nobis servata sit [3], res postulare videtur, ut breviter inspiciamus, quomodo singulæ hujus trilogiæ fabulæ tempore inter se cohæreant. Et 'Eumenidum' quidem actionem cum actione 'Choëphororum' tempore arte conjunctam esse supra demonstratum est [4]. Contra Aeschylus, nisi fallor, finxit, inter cædem Agamemnonis et vindictam ab Oreste sumptam in trilogia repræsentatas non paucos — crediderim octo [5] — annos præterisse. Contrariam sententiam protulit SEYMOUR [6], ita disputans: 'My thesis is that, according to Aeschylus, the action of the Eumenides closes only a few (perhaps ten) days after that of the Agamemnon.' Inspiciamus igitur argumenta, quæ affert SEYMOUR ad hanc sententiam comprobandam. Primum contendit, Orestem secundum Aeschylum tum, cum

[1] BERNHARDY, l. c. pag. 688; WEIL, l. c. pag. 14.

[2] Quæstio, utrum ad v. 566 scena mutetur, ut contendit HERMANN, Opusc. philol. VI, 2, quem secuti sunt interpretes plerique, an iam a v. 234 in Areopago sit, ut placuit SCHOENBORNIO, l. c. pag. 214, an usque ad finem fabulæ res in Acropoli agantur, quam sententiam diserte defenderunt K. O. MÜLLER, l. c. pag. 107, 8, TODT, l. c. pag. 207 seqq., NILSSON, l. c. pag. 28 seqq., nihil valet ad nostram disputationem, cum satis appareat, cuicunque sententiæ accesserimus, inter v. 493 et v. 569 choro stasimum canente (cfr pag. 13) non majorem temporis intermissionem fieri quam in qualibet alia fabula.

[3] Trilogiam tragoediarum unum deinceps argumentum explicantium artis Aeschyli scholæque ejus propriam fuisse inter viros doctos, nisi fallor, constat; v. BERNHARDY, l. c. pag. 580, 1; BERGK, l. c. pag. 222 seqq. pag. 332 seqq.; SITTL, l. c. pag. 234 seqq.; CROISET, l. c. pag. 243 seqq. alios.

[4] Pag. 20; cfr SEYMOUR, l. c. pag. 440.

[5] Tamdiu enim Homerus Aegisthum Mycenis regnantem facit γ 305: ἑπτάετες δ' ἤνασσε (Αἴγισθος) πολυχρύσοιο Μυκήνης | τῷ δέ οἱ ὀγδοάτῳ κακὸν ἤλυθε δῖος Ὀρέστης; cfr Vellej. Paterc. I, 1, 3: regni potitur Aegisthus per annos VII.

[6] L. c. pag. 438.

Agamemno interficeretur, non puerum decem annorum, ut ceteri narrent poetæ[1], sed iam virum fuisse; sæpius enim ab Aeschylo dici, eum tum exsulem (φεύγοντα) fuisse[2], i. e. a Clytæmestra nonnullis annis ante reditum Agamemnonis patria expulsum, ne flagitio reginæ testis adesset, id quod melius ad virum quam ad puerum quadret. Sed et puerum Orestem matri molestum fuisse credo, ut eum patria ablegaret, et verbum illud, quod est φεύγειν, i. e. patria carere, etiam de puero ad hospitem ablegato, nisi fallor, recte usurpatur. Deinde Seymour ita disseruit: 'In accordance with the view here presented of the age of the Aeschylean Orestes is the fact that the Choëphori does not contain the indications abundant in the Electra (Sophoclis) of the lapse of time since the death of Agamemnon'. Ejusmodi autem indicationes permultas invenio: Clytæmestræ supplicium *diu* imminuisse prædicat v. 462 τὸ μόρσιμον μένει πάλαι[3]; item v. 645 seqq. τέκνον ἐπεισφέρει δόμοις αἱμάτων παλαιτέρων τίνειν μύσος χρόνῳ κλυτὰ βυσσόφρων Ἐρινύς; v. 954 seqq. δολίαν βλάβαν ἐγχρονισθεῖσαν ἐποίχεται; de cæde Agamemnonis iam dudum perpetrata agitur v. 741 seqq. nutrice dicente: ὥς μοι τὰ μὲν παλαιὰ συγκεκραμένα | ἄλγη[4] δύσοιστα τοῖσδ' ἐν Ἀτρέως δόμοις; v. 799 seqq. τῶν πάλαι πεπραγμένων λούσαθ' αἷμα προσφάτοις δίκαις· γέρων φόνος μηκέτ' ἐν δόμοις τέκοι[5]; cives domumque regiam a duobus tyrannis diu vexatos indicant v. 53 seqq. v. 301 seqq. cum schol., v. 959 seqq. ἄνα γε μὰν δόμοι· πολὺν ἄγαν χρόνον χαμαιπετεῖς ἔκεισθε

[1] V. infra pag. 28.

[2] Agam. 1617 seqq., 1639, Choëph. 3, coll. cum. Aristoph. Ran. 1165.

[3] Schol. ib. πέπηγε μὲν καὶ ὥρισται πάλαι ὑπὸ Μοιρῶν τὸ τὴν Κλυταιμνήστραν ἀνδροκτονήσασαν ἀναιρεθῆναι.

[4] Schol. v. 740 ἡ κρεουργία τῶν Θυέστου παίδων καὶ ὁ Ἀγαμέμνονος θάνατος. 'An das letztere ist mehr zu denken'. Wecklein.

[5] Schol. v. 801 γέρων φόνος] Ἀγαμέμνονος δὲ παλαιὸς φόνος μὴ συγχωρήσῃ φόνον τῷ Ὀρέστῃ τεχθῆναι. Seymour hæc verba ad pristinum Atrei scelus referenda esse censet, quod verba illa, quæ sunt λούσαθ' αἷμα δίκαις, obstant, ne credamus.

δή; e bonis Agamemnonis iam diu tyrannos fructum civibus invisum cepisse docet v. 941 seqq. ἐπολολύξατ' ὢ δεσποσύνων δόμων ἀναφυγᾷ κακῶν καὶ κτεάνων τριβᾶς ὑπὸ δυοῖν μιαστόροιν; hæc enim ad tempus ante reditum Agamemnonis referre vix licet[1]. Pergit SEYMOUR ita: 'The lamentations of the Chorus[2] of the Choëphori on their entrance are more natural when understood as following soon after Agamemnons death. The cheeks of the women are torn by their nails, their garments are rent in their grief' et ea, quæ sequuntur. Sed et obstat illud 'perpetuo queror' (v. 26 δι' αἰῶνος ἰυγμοῖσι βόσκεται κέαρ, 'das herz ist, ach, längst gewohnt des jammers', WILAMOWITZ) neque puto mærorem gravissimum chori Electræque offendere, quamvis multos post mortem Agamemnonis annos præterisse nobis fingamus, ut quibus nunc fortasse primum ad tumulum domini desiderati palam cum piaculis accedere per tyrannos liceat[3]. Tum SEYMOUR hæc: 'An interesting bit of circumstantial evidence tending to show that the action of the Choëphori followed soon after that of the Agamemnon, in my opinion, is found in Cho. 797 ff., where Orestes after the death of his mother brings upon the scene the bloodstained garment in wich his father was entangled at the bath, before the murderous blows were struck; — nothing could be more effective than the discovery by Orestes of the manner of Agamemnons death, before Clytæmestra had had a convenient opportunity to destroy the evidence'. Nonne decem dies Clytæmestræ

[1] Dicit SEYMOUR: 'The chief difficulty wich my view has to meet is in ἔμολε μὲν δίκα Πριαμίδαις χρόνῳ, Cho. 928. Here χρόνῳ of course is naturally interpreted *at last.*' Sed huic enuntiato, 'poenam (βαρύδικος ποινά v. sequente) *Priamidis* sero venisse', quæ res sit cum nostra quæstione, equidem non intellego.

[2] Hunc SEYMOUR non ex feminis Troianis (cfr v. 422 seqq.), bello captis (cfr v. 74 seqq.), sed ex veteribus famulis domus regiæ constitisse censet; cfr PALEY, l. c. pag. 483, WILAMOWITZ, 'Aesch. Choëph.' pag. 161.

[3] Cfr v. 80 seqq. δακρύω δ' ὑφ' εἱμάτων ματαίοισι δεσπόταν τύχαις, κρυφαίοις πένθεσιν παχνουμένη; schol. v. 819 — τὸν 'Αγαμέμνονα ἀκινδύνως θρηνήσομεν (si quidem domus ab Oreste liberata erit).

suffecerunt ad vestem illam perdendam pariter atque octo anni?! Num auctor doctissimus etiam ad v. 1010 seqq. satis animum attendit, ubi expressis verbis dictum est, *tempus* guttis sanguinis adjuvantibus vestem illam multicolorem peredere, φόνου δὲ κηκὶς ξὺν χρόνῳ ξυμβάλλεται | πολλὰς βαφὰς φθείρουσα τοῦ ποικίλματος? — Restant duo argumenta, quibus Seymour usus est etiam ad comprobandum, duas illas partes 'Eumenidum', quæ mutatione scenæ post v. 234 facta separantur, tempore arte conjunctas esse [1]. Quorum prius est, Minervam ad v. 400 ab Oreste accitam e finibus Troianis venire, ubi occupata esset possidendo agrum, quem proceres Achæorum bello Troiano confecto ei in perpetuum addixissent [2]. 'This is — a delicate reminder of the time of the action, if we suppose, that Troy had been taken only a few days before: but entirely unmeaning and unreasonable, if we suppose the sack of Troy to have preceded by eight or ten years'. Audio, sed tamen credo, istud ad nostram rem parvi esse momenti; tenendum est enim, *deam* loqui neque deos tempora eadem qua homines norma metiri [3]. Nisi forte præstat concedere poetam hoc loco res vitiose quodammodo composuisse. Alterum argumentum est, Orestem Minervæ accurate describere v. 460 seqq., quo modo Agamemno occisus sit: 'but if Agamemnon had been dead for eight or ten years, surely Athena would have heard of it'. Hoc quidem prope tædet refellere; nam accusato in judicio ea, quæ ad causam pertinent, accurate describenda esse, sive iudex ea cognovit sive non, quis sit, quin sciat? — Rejecta est igitur sententia Seymourii, cui cetera assentiens Dyer [4] vanam opinationem protulit, Orestem non per aliquot annos, ut Seymourio placuit, sed ne per unum quidem annum ante cædem Agamem-

[1] V. pag. 22.

[2] — γῆν καταφθατουμένη, ἣν δῆτ' Ἀχαιῶν ἄκτορές τε καὶ πρόμοι, τῶν αἰχμαλώτων χρημάτων λάχος μέγα, ἔνειμαν αὐτόπρεμνον ἐς τὸ πᾶν ἐμοί, —

[3] Plutarch.: τοῖς γε θεοῖς πᾶν ἀνθρωπίνου βίου διάστημα τὸ μηδέν ἐστι.

[4] L. c. pag. 111 nota.

nonis exsulem fuisse. Sed id quidem nullo modo quadrat ad agnitionem Orestis Electræque v. 211—233, ubi unaquaque prope dicam linea admonemur, multos annos esse, quibus frater sororque inter se non convenerint, ut Electra fratrem vix tandem agnoscat. Præterea ex Euripidis 'Electra' v. 541 seqq. constat, Aeschylum in trilogia finxisse, Orestem Electramque per multos annos separatos fuisse: aliter enim Euripides collegam non vituperasset, quod vestem Orestis ab Electra textam ad agnitionem adhibuisset: οὐκ οἶσθ', Ὀρέστης ἡνίκ' ἐκπίπτει χθονός, | νέαν μ' ἔτ' οὖσαν; εἰ δὲ κἄκρεκον πέπλους, | πῶς ἂν τότ' ὢν παῖς ταὐτὰ νῦν ἔχοι φάρη, | εἰ μὴ ξυνάυξοινθ' οἱ πέπλοι τῷ σώματι; his verbis Aeschylum carpi omnes, quantum equidem scio, consentiunt: num igitur credendum est, Euripidem fabulam collegæ sui non recte intellexisse propterque vitium, quod ei omnino non inesset, in theatro Dionysi coram populo Atheniensium irrisisse? Nullo modo. Præterea, si sententiæ Dyerii accesserimus, totum illud episodium, in quo Orestes cum Clytæmestra colloquitur neque ab illa agnoscitur, mea sententia incredibile fiet. Constet igitur nobis oportet, Aeschylum in trilogia finxisse, Orestem, prius quam Mycenas patrem vindicaturus reverteretur, *per multos exsulavisse annos, quibus ad maturam ætatem pervenisset*[1]. Per hos omnes

[1] Eodem fere modo ceteros omnes poetas fabulam Orestis enarravisse credo; v. Roscher, Lex. Myth. III, 1, col. 961 seqq. Aeschylus a ceteris in *eo* tantum differt, quod non nutricem (ut Pindarus, Pyth. 11, 7, alii) vel Electram (ut Sophocles, El. Hypoth., alii) vel Talthybium (ut Dictys 6, 2, Euripides, v. Robert 'Bild und Lied' pag. 165, alii), Orestem in ipsa cæde Agamemnonis servavisse narrat, sed Clytæmestram filium iam ante reditum Agamemnonis domo ablegantem facit, Agam. 868, Choëph. 677 seqq. 'Die Sage, nach der Orestes bei der Ermordung Agamemnons beiseite geschafft wird, ist geändert, damit am Schlusse auf den in der Ferne weilenden Rächer hingewiesen werden kann'. Wecklein. Apud Homerum non legitur, quo modo Orestes domo ablegatus sit; cfr Roscher, l. c. col. 956; ex iis, quæ leguntur α, 40: ἐκ γὰρ Ὀρέσταο τίσις ἔσσεται Ἀτρεΐδαο | ὁππότ' ἂν ἡβήσῃ τε καὶ ἧς ἱμείρεται αἴης, apparet, nisi fallor, auctorem hujus libri finxisse, Orestem iam tum, cum Agamemno interficeretur, domo profectum esse; his enim verbis Mercurius Aegisthum admonet, ne vitæ Agamemnonis insidias moliatur.

annos noxii illi impunitate gaudent superbiaque omnium odium suscipiunt (cfr pag. 25). Et id quidem bene quadrat ad sententiam, quæ Aeschylo erat de deorum vindicta; nam quod fabulatus est Dyer[1] Aeschylum in trilogia repræsentavisse vindictam divinam perinde ac si scelus perfectum *confestim* assequeretur[2], ejusmodi opinionem ab ingenio et nostri poetæ et totius fere antiquitatis alienam fuisse pro certo affirmare audeo. Immo e contrario antiquis constabat — ut etiam nobis constat — poenam deorum plerumque seram[3] sed eo ipso graviorem vehementioremque nocentibus venire; quod et in ceteris Aeschyli tragoediis et in trilogia compluribus diserte indicatum est locis, quorum nonnullos afferam: Agam. v. 58 Ζεὺς — ὑ σ τ ε ρ ό π ο ι ν ο ν πέμπει παραβᾶσιν Ἐρινύν; v. 376 seqq. Δία — τείνοντα πάλαι τόξον, ὅπως ἂν μ ή τ ε π ρ ὸ κ α ι ρ ο ῦ μήθ' ὑπὲρ ἄστρων βέλος ἠλίθιον σκήψειεν; v. 469 seqq. κελαιναὶ Ἐρινύες χ ρ ό ν ῳ τυχηρὸν ὄντ' ἄνευ δίκας παλιντυχεῖ τριβᾷ βίου τιθεῖσ' ἀμαυρόν; v. 702 seqq.; Choëph. v. 66 διαλγὴς ἄτα διαφέρει τὸν αἴτιον παναρκέτας νόσου βρύειν; v. 381 seqq. — Ζεῦ, Ζεῦ, κάτωθεν ἰάλλων ὑ σ τ ε ρ ό π ο ι ν ο ν ἄταν βροτῶν τλάμονι καὶ πανούργῳ χειρί, τόκοισι δ' ὅμως τελεῖται; v. 1008 μίμνοντι καὶ πάθος ἀνθεῖ; Eumen. v. 556 seqq. τὸν ἀντίτολμον δέ φαμι βαρίβαν ἄγοντα πολλὰ παντόφυρτ' ἄνευ δίκας βιαίως ξὺν χ ρ ό ν ῳ καθήσειν λαῖφος; cfr etim locos pag. 25 citatos. Ejusmodi enuntiationes etiam in ceteris Aeschyli fabulis nonnumquam occurrunt[4]; idemque fere ceteros antiquos de hac re sensisse compluribus

[1] L. c. pag. 104 seqq., pag. 111 nota.

[2] Vide pag. 111 notam: 'To the sound arguments used by Professor Seymour I should incline to add the conception of Divine retribution as *instantly* overtaking fullblown crime, wich governs the time—perspective of Agamemnon', et totam disputationem.

[3] Cujus rei exemplar continetur fato Agamemnonis; neque enim propter vastationem Troiæ crudelem, sed propter Iphigeniam decem annis ante immolatam punitur, id quod diserte indicatum est Agam. v. 1524 seqq. cfr Hypoth. 16.

[4] Ut in 'Supplicibus' v. 740: χρόνῳ τοι κυρίῳ τ' ἐν ἡμέρᾳ θεοὺς ἀτίζων τις βροτῶν δώσει δίκην.

locis[1] indicatum invenimus. Optime igitur quadrat ad ea, quæ sentiebat Aeschylus de sera numinum vindicta, quod inter cædem Agamemnonis et poenam percussorum in trilogia repræsentatas multos annos intervenisse finxit. — Si quidem putandum est, trilogiam Aeschyleam esse compositionem unam atque integram, — id quod viri docti recte monuisse mihi videntur[2] — satis credo apparere, compositionem tantam totque episodia continentem — eaque interdum magno temporis intervallo distantia, ut in 'Orestea' supra demonstratum est[3], — non quadrare ad ea, quæ

[1] E dialogo, quem conscripsit Plutarchus 'de sera numinis vindicta', ed. BERNARDAKIS III, pag. 417 seqq., satis apparet, quæ antiqui de hac re senserint; totus enim hic sermo proficiscitur ab eo velut certo, quod dii noxiis sero demum poenas infligant; ubi cum multa, tum hæc disputantur, c. 11: — μᾶλλον ἄν τις εἴποι τοῖς ταχὺ κολαζομένοις τῶν πονηρῶν καὶ ἀποθνήσκουσι μαλακῶς καὶ ῥαθύμως χρῆσθαι τὸ δαιμόνιον; audienda etiam sunt ea, quæ Euripides ille, qui τραγικώτατος fuisse dicitur τῶν ποιητῶν, vere 'tragice', si quid video, in incertæ dixit fabulæ fragmento, quod in eodem Plutarchi dialogo nobis servatum est (NAUCK, Tragic. græc. fragm. 979): οὔτοι προσελθοῦσ' ἡ Δίκη σε, μ ὴ τ ρ έ σ ῃ ς, | παίσει πρὸς ἧπαρ οὐδὲ τῶν ἄλλων βροτῶν | τὸν ἄδικον, ἀλλὰ σῖγα καὶ β ρ α δ ε ῖ π ο δ ὶ | στείχουσα μάρψει τοὺς κακούς, ὅταν τύχῃ; cfr etiam Homer. Δ, 160 seqq., Soph. Antig. 1074 seqq., Eurip. Orest. 420, Rhes. 893, fragm. 223, 800, 835, 1131 NAUCK, Adesp. 446 NAUCK: Ζ ε ὺ ς κατεῖδε χ ρ ό ν ι ο ς εἰς τὰς διφθέρας, quem versum haud scio an Aeschylo recte tribuerit VALCKENAER, Diatr. pag. 185; Theodect. fragm. 8 NAUCK: ὅστις δὲ θνητῶν μέμφεται τὰ θεῖ', ὅτι | οὐκ εὐθὺς ἀλλὰ τῷ χρόνῳ μετέρχεται | τοὺς μὴ δικαίους, πρόφασιν εἰσακουσάτω. εἰ μὲν γὰρ αὐτίκ' ἦσαν αἱ τιμωρίαι, | πολλοὶ διὰ φόβον κοὐ δι' εὐσεβῆ τρόπον | θεοὺς ἂν ηὖξον· νῦν δὲ τῆς τιμωρίας | ἄπωθεν οὔσης τῇ φύσει χρῶνται βροτοί· ὅταν δὲ φωραθῶσιν ἔρδοντες κακά, | τίνουσι ποινὰς ὑστέροισιν ἐν χρόνοις; proverbium apud Sext. Empir., contra Mathemat Aurel. interpr. Paris 1569 pag. 49: ὀψὲ θεῶν ἀλέουσι μύλοι, ἀλέουσι δὲ λεπτά; Cæsar, de bello Gall. I, 14: 'consuesse enim deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res et diuturniorem impunitatem concedere'. Horat. carm. III, 2, 31.

[2] SCHLEGEL, l. c. I, pag. 94, G. HERMANN, 'de Aeschyli tril. Thebana', Opusc. VII, pag. 193, alii.

[3] Actionem trilogiæ Thebanæ, in qua fuerunt fabulæ, quæ inscribuntur 'Laius' 'Oedipus' 'Septem ad Thebas', per tres hominum ætates

postulat Aristoteles, Poet. capp. 7 et 8, nempe ut actio una sit totaque facile uno tanquam obtutu comprehendi queat [1]. Quamquam Aristoteles in Poetica nusquam de compositione trilogica tragoediarum idem argumentum persequentium expresse loquitur [2] — id quod admirationem movet — tamen credo, enuntiationem pag. 1 citatam, tragoediam primis temporibus ut epopoeiam tempore indefinitam fuisse, recte inprimis ad ipsam compositionem trilogicam, qualem eam in 'Orestea' cognovimus, referri. Præterea Bergkio assentior animadvertenti, hoc ad rationem componendi singulas tragoedias trilogiæ nonnihil momenti habuisse [3]. — Cum fabulæ Aeschyleæ, quæ inscribuntur 'Persæ' et 'Septem ad Thebas' [4], nihil singulare ad nostram quæstionem præbeant, ad fabulas Sophocleas transeo. —

Sophocles, quem summum dixerunt Homeri discipulum, artifex fuisse existimatur perfectissimus in compositione actionum (τῇ συστάσει τῶν πραγμάτων). Compositionem Sophocleam Aristoteli perfectissimam visam esse suspicari licet, quippe quæ legibus ab eo constitutis optime respondeat. Hæc igitur compositio qualis fuerit, breviter inspiciamus, ut cognoscamus, quantum ad rem, quam tractamus, valuerit. Compositio minime artificiosa secundum Aristotelem evadit, si quis res composuit, quæ tempore tantum sese deinceps exceperunt, nulla unitate argumenti constituta; cujusmodi secundum Aristotelem sunt nonnullæ epopoeiæ scriptorum

duravisse apparet; inter singulas tragoedias trilogiæ Prometheæ non annos, sed milia annorum præterire fingendum est, Prom. v. 94 cum schol. cfr pag. 8; cum contra in aliis trilogiis actionem tempore satis astrictam repræsentatam fuisse suspicari liceat, ut in illa trilogia, quam ex 'Myrmidonibus' 'Nereidibus' 'Phrygibus' constitisse putant.

[1] Cfr infra pag. 32 seqq.

[2] De tribus tragoediis una docendis Poet. 1459 b 22.

[3] L. c. pag. 202: 'Auch im einzelnen Drama wird Zeit und Ort zuweilen mit lässlicher Freiheit behandelt, zumal bei Aeschylus. — die Form der Tetralogie wirkte unwillkürlich auch auf die einzelnen Teile der Composition ein'.

[4] V. infra pag. 61.

cyclicorum[1]. Postulat autem Aristoteles in capite septimo Poeticæ, ut quodcumque arte componatur definitum sit unoque tanquam obtutu comprehendi possit: 'namque ut nullum animal pulchrum est, quin uno intuitu conspici queat, ita nulla compositio poetica pulchra est, cujus fabula non facile memoria comprehendi possit'[2]. Ejusmodi constituetur fabula, si quis poeta unam tantum actionem elegerit arte tractandam[3]; id quod 'unitatem actionis' dixerunt. Ejusmodi compositio quantopere præstaret, iam ab initio prope dicam artis inter Græcos constitisse apparet, ut cujus specimen perfectum præberent duæ illæ epopoeiæ præstantissimæ. — Homericas dico — quarum utraque circa unam actionem principalem arte ut antiquis visum est 'divina' composita esset: Aristoteles quidem epopoeias Homericas propter hanc virtutem magnis laudibus ornat[4]. Quapropter actio Iliadis intra unum et quinquaginta, actio Odysseæ intra quadraginta dies consistunt. Apparet igitur illud Aristotelicum, epopoeiam tempore indefinitam esse, quod ad poemata Homeri attinet, non recte dictum esse nisi epopoeiam cum tragoedia comparanti. Nam argumentum tragoediæ multo astrictius quam epopoeiæ componendum esse[5], iam eo sequitur, quod tragoediæ aliud

[1] Poet. 1451 a 18, 1459 b 1.

[2] Poet. 1451 a 2 ὥστε δεῖ καθάπερ ἐπὶ τῶν σωμάτων καὶ ἐπὶ τῶν ζῴων ἔχειν μὲν μέγεθος, τοῦτο δὲ εὐσύνοπτον εἶναι, οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν μύθων ἔχειν μὲν μέγεθος, τοῦτο δὲ εὐμνημόνευτον εἶναι; cfr 1459 b 19: τοῦ μὲν οὖν μήκους ὅρος ἱκανὸς ὁ εἰρημένος· δύνασθαι γὰρ δεῖ συνορᾶσθαι τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ τέλος.

[3] Poet. 1451 a 18 χρὴ οὖν, καθάπερ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἡ μία μίμησις ἑνός ἐστιν, οὕτω καὶ τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησίς ἐστι, μιᾶς τε εἶναι κ. τ. λ.; contra vituperat Aristoteles fabulam, quam nominat ἐπεισοδιώδη 1451 b 35; cfr infra pag. 50.

[4] Poet. 1451 a 21 seqq: ὁ Ὅμηρος — περὶ μίαν πρᾶξιν οἵαν λέγομεν τὴν Ὀδύσσειαν συνέστησεν, ὁμοίως δὲ καὶ τὴν Ἰλιάδα; 1459 a 30 seqq.

[5] Poet. 1455 b 16; ἐν μὲν οὖν τοῖς δράμασιν τὰ ἐπεισόδια σύντομα, ἡ δ' ἐποποιία τούτοις μηκύνεται; cfr 1459 b 23: ἔχει δὲ πρὸς τὸ ἐπεκτείνεσθαι τὸ μέγεθος πολύ τι ἡ ἐποποιία ἴδιον κ. τ. λ.; de episodiis apud Homerum 1459 a 35.

munus propositum est atque epopoeiæ[1]; nam cum epopoeiæ officium sit, ut vitam moresque totius populi describat, — quo officio ut recte fungatur, permultæ personæ in varias fortunas scriptori epico inducendæ sunt[2], — tragoediæ contra proprium est negotium, ut fortunas moresque singulorum hominum repræsentet[3]. Itaque cum actio tragoediæ una esse debeat, talem eam esse oportet, quæ momento temporis de fortuna hominis omnino decernat. Justum igitur tragoediæ argumentum continere oportet transitionem e prospera fortuna in adversam (μεταβολὴν ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν) vel — in tragoedia minus severa — ex adversa fortuna in prosperam (εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας)[4], et quidem nihil præter hanc transitionem argumento inesse oportere Aristoteles diserte dixit Poet. 1451 a 11: ἐν ὅσῳ μεγέθει κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἐφεξῆς γιγνομένων συμβαίνει εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας ἢ ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν μεταβάλλειν, ἱκανὸς ὅρος ἐστὶν τοῦ μεγέθους[5]. His verbis Aristoteles nimirum indicavit, quid maxime proprium esset tragoediæ græcæ, ut quidem sibi videretur, perfectissimæ, inprimis Sophocleæ[6]; argumentum hujus tragoediæ continebat mutationem in adversam vel prosperam fortunam, quæ si subita atque improvisa supervenit, cum ea, quæ agebantur, contrariam fortunam allatura viderentur, περιπέτεια vocabatur[7]; et quidem recte dici potest, argumenta tragoediarum,

[1] Cfr Poet. 1462 b 1: ἔτι τῷ ἐν ἐλάττονι μήκει τὸ τέλος τῆς μιμήσεως εἶναι.

[2] Cfr Poet. ibid. 4: — ἧττον μία μίμησις ἡ τῶν ἐποποιῶν.

[3] Cfr VISCHER, 'Aesthetik', Stuttg. 1857, III, 2, pag. 1272 seqq.

[4] Poet. 1451 a 13, 1453 a 12.

[5] Cfr Theophrast., Suet. pag. 6, 1, qui tragoediam dixit ἡρωϊκῆς τύχης περίστασιν; ED. MÜLLER, 'Theorie der Kunst bei den Alten', II, pag. 142, 169; CALAMNIUS, 'Aristoteles' lära om det sköna och konsten', Helsingf. 1865, pag. 87; DÖRING, l. c. pag. 212 seqq.

[6] Cfr BERNHARDY, l. c. pag. 790 seqq.; BERGK, l. c. pag. 452 seqq.; SITTL, l. c. pag. 184 seqq.; CROISET, l. c. pag. 247 seqq.

[7] ED. MÜLLER, l. c. pag. 144 nota, iure LESSINGIUM vituperat, quod περιπέτειαν idem significare putaverit atque μεταβολήν, Hamb. Dramat. I pag. 161 coll. cum 165; peripetia (ἡ εἰς τὸ ἐναντίον τῶν πραττομένων

quæ Aristoteli præstantissimæ viderentur, — ut 'Oedipus Rex' et 'Iphigenia Taurica', — hac tantum peripetia constitisse[1], quæ agentibus vel prosperam vel adversam fortunam attulit. Quo autem citius in tragoedia sic composita res sese tempore excipiunt, eo gravius animi spectantium ad metum atque misericordiam excitentur necesse est. Quæ cum ita sint, satis credo apparere, in hac tragoedia græca secundum Aristotelem perfectissima, quæ nihil præter peripetiam continet, naturam ipsam argumenti postulare, ut omnia quæ aguntur intra perexiguum temporis spatium consistant. — Apparet igitur 'unitatem' quam vocant 'temporis', si in tragoedia græca invenitur, consecutam esse 'unitatem' illam 'actionis', quam tragoediæ perfectæ propriam esse prædicavit Aristoteles cap. VII[2]; quæ cum ita sint, offendit, quod hæ duæ res in disciplina Aristotelis non conjunctæ sunt[3]. Ejusmodi conjunctionem Bergk[4] restituere conatus est ad locum

μεταβολή Poet. 1452 a 23) qualis sit, idem mihi recte expressisse videtur, cum diceret: 'Eine Peripetie findet statt, wenn eine Handlung das nicht erreicht, was sie bezweckt, eine Begebenheit nicht zu dem Ziele führt, dem sie entgegenzuführen schien, sondern grade zu dem entgegengesetzten; nicht jeder Glückswechsel also ist eine Peripetie oder beruht auf ihr;' cfr Vischer, l. c. I pag. 290, Döring, l. c. pag. 218 seqq., 243: 'Die Peripetie ist eine besonders geschärfte Art der Metabasis'; neque enim in 'tragoedia simplici', quam vocat Aristoteles, quamvis μετάβασιν = μεταβολήν contineat, peripetia inest, Poet. 1452 a 16 ἄνευ περιπετείας — ἡ μετάβασις γίνεται. In hac re haud scio an verba Aristotelis ibid. 24 καθάπερ εἴρηται, quæ ad 1451 a 13 respectant, quibusdum auctoribus fraudi fuerint, quæ quidem verba quomodo audienda essent, recte monuit Vahlen, 'Ar. de arte poetica', Berlin 1876, ad locum. Peripetiam quidem ex 'ironia' quæ vocabatur 'tragica' natam esse satis apparet: cfr auctores supra laudatos.

[1] Cfr Poet. 1455 b 35 — ἡ μὲν πεπλεγμένη, ἧς τὸ ὅλον ἐστὶν περιπέτεια καὶ ἀναγνώρισις.

[2] Cfr Bergk, l. c. pag. 452: 'Wegen dieser Gedrungenheit der Handlung ist der Tragiker (Sophocles) sichtlich bemüht, die Einheit der Zeit und des Ortes streng innezuhalten'.

[3] Alterius sententiæ sunt Döring, l. c. pag. 235, Jungwirth, l. c. pag. 6.

[4] L. c. pag. 203.

pag. 1 citatum conjiciendo: ἔτι δὲ τῷ μήκει· ἡ μὲν γὰρ < ἐν ἐλάττονι μήκει τὸ τέλος τῆς μιμήσεως ἔχει· διὸ καὶ > ὅτι μάλιστα πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι κ. τ. λ. Qua conjectura quamquam conjunctio logica harum rerum restituitur, tamen nostro loco sic scribendum esse non puto, propterea quod hæc verba, quæ Bergk ex Poet. 1462 a 19 ἔτι τῷ ἐν ἐλάττονι μήκει τὸ τέλος τῆς μιμήσεως εἶναι translata in nostrum locum inseruit, illo loco respectant ad ea, quæ interea disputata sunt de tragoedia artius quam epopoeia circumscripta, quæ tamen philosophus ad nostrum locum nondum attigit. Hoc igitur vitium potius ad statum mancum et imperfectum totius libelli Aristotelei, de quo disputamus, quam ad lapsum abbreviatoris cujusdam referendum esse crediderim, præsertim cum satis appareat, quoquo modo scribendum esse censemus, hanc enuntiationem, qua tempus actionis tragoediæ circumscribitur, ut quæ secundaria minorisque momenti sit, hic, ubi de differentiis tragoediæ et epopoeiæ gravissimis agitur, omnino non suo loco positam esse.

Ejusmodi tragoediæ materiam ea tantummodo vita hominis præbet, de qua subita decernat fortunæ mutatio, quam quidem actione circumscripta atque cito progrediente eademque integra (πράξει τελείᾳ) repræsentare liceat. Negotium vero fit poetæ, ut fabulam ita instituat, ut nihil fere præter illam fortunæ transitionem, de qua dixi, repræsentet, verum id ita, ut et causæ efficientes et effectus actionis spectatori appareant; neque enim aliter actio absolvetur integra. Quæ ut commode perfici possint, punctum temporis aptum, in quo actio consistat, poetæ eligendum est; in quo ars Sophoclea vel summam meruit laudem[1]. Cujus artificii haud scio an perfectissimum specimen præbeat fabula, quæ inscribitur '*Oedipus Rex*', qua quidem Aristoteles exemplo utitur tragoediæ, cujus argumentum peripetia con-

[1] Bene Sittl, l. c. III pag. 232: — 'nirgends nimmt man bei Aeschylus eine zielbewusste Wahl des Reifepunktes der Lage wahr, wie sie Sophokles, den wahren Schüler des Schöpfers der Ilias und Odyssee, auszeichnet'.

tineatur. Quam fabulam cum vel perfectissimum tragicæ artis opus iam antiquis temporibus habitam esse suspicari liceat, ut quæ ab Aristotele in Poetica sæpius quam ulla alia fabula — nempe octies — exempli loco afferatur [1], haud alienum videtur hac fabula exemplari artis Sophocleæ utentem argumentum ita, ut nostra postulabit quæstio, breviter examinare. Peripetia, quæ in hac fabula inest, eadem agnitio est [2]. Quæ agnitio ut integra absolveretur, — oportebat enim actio non modo una verum etiam integra esset, μιᾶς καὶ ταύτης ὅλης (πράξεως μίμησις), — necesse erat heroem, qui primam agebat personam, initio tragoediæ nihil scientem ante oculos spectatorum omnia, quæ ad rem fatalem attinerent, agnoscere. Quæ quidem agnitio per tres, ut ita dicam, gradus integra absolvitur [3]: primum Oedipus comperit, sese percussorem esse Laii, ex iis, quæ patefaciunt Tiresias atque Iocasta v. 300—863 (cfr v. 754 αἰαῖ, τάδ' ἤδη διαφανῆ); tum a nuntio Corinthiaco certior fit, sese filium Polybi non esse v. 911—1085; denique vetere illo Laii famulo arcessito cognoscit, sese filium esse Laii: quibus compertis plene agnitum est, evenisse ea, quæ ab oraculo prædicta essent. Hæc agnitio ut a primo initio continua repræsentari possit actione, quæ, cum semel coepta sit, ad exitum tendat neque sisti possit — quod ni ita esset, ad animos movendos parum valeret — primum poetæ fingendum est, nuntium de morte Polybi Thebas eodem venire die, quo Oedipus causa quadam senem illum Laii famulum arcessivit, quod origo Oedipi non nisi his duobus viris inter se oppositis perspici potest; id quod ut in fabula contra verisimilitudinem

[1] Cfr Longin. 'de sublim.' cap. 33 ad finem, Hypoth. Oed. R. II, Ael. Aristid. ὑπὲρ τῶν τεττάρων ed. Dind. II pag. 334.

[2] Cfr Poet. 1452 a 17: πεπλεγμένη δέ ἐστιν (sc. τραγῳδία), ἐξ ἧς μετὰ ἀναγνωρισμοῦ ἢ περιπετείας ἢ ἀμφοῖν ἡ μετάβασίς ἐστιν; ib. 33: κάλλισται δὲ ἀναγνωρίσεις, ὅταν ἅμα περιπέτειαι γίνωνται, οἷον ἔχει ἡ ἐν τῷ Οἰδίποδι.

[3] Cfr H. Schmidt, 'Die Einheit der Handlung in Kön. Oed. von Soph.' Progr. Wittenberg 1848; Porazil, 'Die σύστασις τῶν πραγμάτων in Soph. Oed. Kön.' Progr. Wiener Neustadt 1873; Jebb, 'The Oedipus Tyrannus', Cambr. 1887, Introd., inprimis pag. 24.

repugnare omnino non judicandum est[1]. Contra iam Aristoteles duobus Poeticæ locis animadvertit absurdum esse id, quod poeta porro finxit, Oedipum nunc primum, postquam multos per annos Thebis regnaverit, in ea, quæ cædi Laii adjuncta fuerunt, inquirere[2]. Si quidem studio incensus esset diligentius cognoscendi, quo modo rex superior vitam amisisset, — id quod eum prætermisisse haud facile crediderimus, — fieri vix potuit, quin se ipsum hujus percussorem esse statim agnosceret[3]. Aristoteles quidem hoc ἄλογον eo excusavit, quod extra fabulam esset[2], ut spectatorem id animadvertere non opus esset. Nonnulli viri docti nostræ ætatis, qui putarent, hoc ἄλογον e causis explicandum esse ex hominum natura petitis, asseverarunt, et Oedipi et Iocastæ magni interfuisse, ne de temporibus præteritis, ut quæ nimis tristia fuissent, mentio fieret; quamobrem non offendere usque ad id temporis in illa inquisitiones factas non esse. Ejusmodi excusationes utrum justæ sint necne, non dijudico[4]; satis

[1] Ut mihi jejuna atque putida quædam esse videantur, quæ disputavit M. Rapp, 'Geschichte des griech. Schauspieles vom Standpunkte der dram. Kunst', Tüb. 1862, pag. 75: 'Wir haben schon früher bemerkt, dass die Leute, die man gerade braucht, immer vor der Thür bereit stehen; es ist hier noch auffallender, dass gerade mitten in der Handlung nun ein Bote aus Korinth vom Tode des Pflegevaters ankommen muss. Dies nur zur Erinnerung, dass unser Stück zwar äusserlich in die s. g. Einheit der Zeit sich fügt und scheinbar an einem Tage spielen könnte; aber die innere Wahrscheinlichkeit ist ganz dagegen. Es werden auf den einen Tag Zufälle zusammengetragen, die sich nur in einem längern Zeitraum so treffen können.' Simili modo in Euripidis 'Hippolyto' Theseus a peregrinatione eodem revertitur temporis momento, quo famulæ circa Phædram, quam suspensam invenerunt, clamorem tollunt, v. 790 γυναῖκες, ἴστε τίς ποτ' ἐν δόμοις βοή; | ἠχὴ βαρεῖα προσπόλων μ' ἀφίκετο.

[2] 1454 b 6 ἄλογον δὲ μηδὲν εἶναι ἐν τοῖς πράγμασιν, εἰ δὲ μή, ἔξω τῆς τραγῳδίας, οἷον τὸ ἐν τῷ Οἰδίποδι τῷ Σοφοκλέους; 1460 a 29 μάλιστα μὲν μηδὲν ἔχειν ἄλογον, εἰ δὲ μή, ἔξω τοῦ μυθεύματος, ὥσπερ Οἰδίπους τὸ μὴ εἰδέναι πῶς ὁ Λάιος ἀπέθανεν.

[3] Cfr Hom. λ 274: ἄφαρ δ' ἀνάπυστα θεοὶ θέσαν ἀνθρώποισιν.

[4] De quo haud scio an recte judicaverit Jebb, l. c. Intr. pag. 25: 'It may be conceded that the matters of which Oedipus is supposed

tamen apparet, compositionem dramaticam, ut justa esset, necessario postulavisse, ne prius in mortem Laii inquireretur, quam origo Oedipodis ad id temporis celata detegi posset, ut agnitionem integram spectatori repræsentare liceret. Et quidem hanc inquisitionem, cum tam diu dilata esset, nunc summo studio peragi, non verisimile saltem non videtur, propterea quod poeta causam aptam ejus incipiendæ invenit; neque enim Oedipum pietate quadam in superiorem regem percussorem ejus investigantem fecit — qui quidem tum iam multo ante detectus esset — verum jussu oraculi Delphici, ut pestilentia averteretur, quæ terram Thebanam vexaret. Incipit igitur actio tragoediæ apte a momento temporis, quo Creo Delphis revertitur responsum oraculi afferens, quæ quidem Oedipo statim causa existit omnia consilia ineundi, ut auctor cædis investigetur; quod cum ita sit, fieri vix potest, quin ille brevi tempore agnoscatur. Postquam nuntius ille Corinthiacus prius etiam quam Oedipus cædis plane convictus est, interveniens viam originis ejus aperiendæ monstravit, omnia fulmine, ut ita dicam, velocius perspicua atque manifesta fiunt. Artificium poetæ jure admirantem spectatorem omnino fallit, actionem nimis, ut ita dicam, acuminatam esse. Continet igitur actio fabulæ hanc tantummodo agnitionem, cum ea, quæ tum in exodo tragoediæ sequuntur, a poeta adjuncta sint, ut fabula iis, quæ exitu fatali proxima oriuntur, repræsentatis aptum haberet finem (τελευτήν). Apertum est, actionem hoc modo compositam intra perexiguum temporis spatium consistere[1]: id quod diserte indicatum invenimus v. 438 ἥδ' ἡμέρα φύσει σε καὶ διαφθερεῖ[2].

ignorant were themes of which Iocasta, and all the persons about the new king, might well have been reluctant to speak. Still it is evident that the measure of past reticence imagined, both on their part and on his, exceeds the limit of verisimilitude. The true defence of this improbability consists in frankly recognising it', etc. cfr pag. 45 seqq.; cfr etiam Voltaire apud Jebb, l. c. pag. 46; Schlegel, l. c. I pag. 120.

[1] Cfr Jungwirth, l. c. pag. 22 seqq.

[2] Opinationem, quam de fabula Euripidea, quæ inscribebatur 'Oedipus', protulit Bergk, l. c. III pag. 148: 'Die Entdeckung des Ge-

Licet igitur constituere, in 'Oedipo' actionem admirabili quodam modo unam atque solidam esse eamque ob causam etiam intra spatium temporis vel brevissimum consistere. Sic autem fabulam componendi jam ipsam materiem, quæ tractanda erat, viam monstravisse apparet. Neque enim Oedipus tum, cum in trivio cædem patraret, neque tum, cum Thebis rerum potiretur, in tragoedia repræsentandus erat, quia 'tragicum' quod dicunt momentum vitæ ejus fuit, quo cognitum est, facinora illa quam tandem vim haberent [1]. Oportebat igitur poeta actionem fabulæ circa hoc temporis momentum, quod inprimis 'tragicum' esset, componeret, cum res præteritæ, de quibus spectator certior faciendus esset, tantummodo commemorarentur [2], inprimis in episodio illo, quo Oedipus et Iocasta colloquuntur v. 697—862. In hac igitur materia ipse exitus fatalis studium spectatoris totum retinet. Contra in fabula, quæ inscribitur *'Antigona'*, quam et ipsam arte severa compositam esse perhibent, ab Antigona facinus illud, cujus tum poenas 'tragicas' persolvit, perficitur, quamvis compertum habeat, quid peractura sit [3], nempe edictum regis, quamvis gravis sit poena constituta, transgressura, quia firmas neque scriptas deum leges sibi servandas judicat (v. 454), fratri indignis modis sepulturæ honore privato inferias faciendo. Itaque cum in 'Oedipo' facinora illa fatalia, quippe quæ ab inscio commissa sint cæca necessitatis vi ita ferente, ut studia

heimnisses erfolgt nach und nach; erst wird der Vatermord, später auch die Blutschande an das Licht gezogen, also das, was Sophokles in geschlossener Einheit und kunstreicher Concentration dargestellt hatte, successiv vorgeführt.' certe ad tempus, quod in fabula repræsentabatur, non valere, conjecerim e frgm. 549 Nauck: ἀλλ' ἦμαρ (ἓν add. Nauck) τοι μεταβολὰς πολλὰς ἔχει.

[1] Cfr Ar. Poet. 1453 b 28: ἔστιν δὲ πρᾶξαι μέν, ἀγνοοῦντας δὲ πρᾶξαι τὸ δεινὸν, εἶθ' ὕστερον ἀναγνωρίσαι τὴν φιλίαν, ὥσπερ ὁ Σοφοκλέους Οἰδίπους· τοῦτο μὲν οὖν ἔξω τοῦ δράματος —

[2] Cfr K. Otfr. Müller, Gesch. der griech. Lit. II pag. 117.

[3] Hoc disertissime expressum est v. 875 σὲ δ' αὐτόγνωτος ὤλεσ' ὀργά.

spectatoris per se minus allicientia extra fabulam esse oporteat, contra in 'Antigona' ipsa facinoris patratione vel caput argumenti tragici continetur, quando quidem conscia Antigona lege deum ipsorum animis hominum insita jubente rem aggreditur. Quæ cum ita sint, Antigona in scenam poetæ inducenda est non minus ante quam facinus commisit, ut nos certiores faciat, quibus causis ad id perficiendum impellatur, quam post rem jam peractam, ut id, quod fecit, defendat — consideraveris tantummodo, quantum distet hæc Antigona, quæ factum defendit, ab illa, quæ perficiendum deliberat — illud in prologo fit, hoc in episodio, quo cum Creonte verbis contendit v. 441—525; quæ duæ tragoediæ partes haud scio an gravissimæ et vel splendidissimæ sint. Cum igitur ipsum ἁμάρτημα quod dicunt tragicum intra fabulam perficiendum esset, actio tragoediæ e pluribus quam actio 'Oedipi' partibus consisteret eamque ipsam ob causam etiam longius spatium temporis expleret necesse fuit. Si quidem locum Aristoteleum, de quo disputamus, interpretantes verba illa, quæ sunt μία περίοδος ἡλίου, 'diem' neque 'diem et noctem' significare judicamus, — id quod sententia hujus loci necessario postulare videtur[1], — 'Antigona' uti licet exemplo fabulæ, cujus actio non intra μίαν περίοδον ἡλίου consistit verum hoc temporis spatium μικρὸν ἐξαλλάττει: id quod ex iis, quæ allaturus sum, apparebit. Creo custodes constituerat, qui prohiberent, ne quis corpus Polynicis humo conderet. Quorum tamen vigilantiam frustratur Antigona. Postquam custodum ille, qui in tragoedia partes agit, quid accidisset, Creonti nuntiaturus scenam intravit, scelus prima luce detectum esse narrat, v. 253 seqq. ὅπως δ' ὁ πρῶτος ἡμὶν ἡμεροσκόπος | δείκνυσι, πᾶσι θαῦμα δυσχερὲς παρῆν. |

[1] Hoc cum alii asseverarunt tum recte Döring, l. c. pag. 236: 'Hinsichtlich des Ausdrucks ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου braucht — kaum noch das grobe Missverständniss zurückgewiesen zu werden, dass es sich nicht um den astronomischen Tag von 24 Stunden, sondern um den Tag vom Morgen bis zum Abend, während dessen eine Handlung continuirlich verlaufen und ein Publikum von Zeugen derselben ausdauern konnte, handelt'.

ὁ μὲν γὰρ ἠφάνιστο κ. τ. λ. Unde apparet, poetam finxisse, Antigonæ noctis tenebris occultatæ contigisse, ut custodiam fallens fratrem humo contegeret[1]. Sed jam ante facinus perfectum Antigona a poeta in scenam inducitur et quidem ea de causa, quam supra dixi. Fingendum igitur est in prologo res nocturno tempore agi, cfr v. 16 ἐν νυκτὶ τῇ νῦν, quæ verba 'nocte, quæ nunc obducta est' neque vero 'nocte præterita' audienda esse velim. Tum a choro orchestram intrante primus solis orientis radius consalutatur, v. 100 seqq. ἀκτὶς ἀελίου, τὸ κάλλιστον ἑπταπύλῳ φανὲν Θήβᾳ τῶν προτέρων φάος, ἐφάνθης ποτ', ὦ χρυσέας ἁμέρας βλέφαρον κ. τ. λ. Deinde Creo edictum pronuntiat atque custos ille primum scenam ingressus quæ accidissent refert. Qui gravissimis minis a rege in custodiam remissus cum rursus scenam intrat Antigonam comprehensam adducens, jam postmeridianum adesse diei tempus comperimus; narrat enim se, cum ad cadaver revertisset, vicino in tumulo sedentem cum sociis usque ad meridiem custodiæ animum intendisse, v. 415 seqq. χρόνον τάδ' ἦν τοσοῦτον, ἔστ' ἐν αἰθέρι | μέσῳ κατέστη λαμπρὸς ἡλίου κύκλος | καὶ καῦμ' ἔθαλπε· Tum vero tempestatem vehementem derepente coortam custodibus aspectum in campum ademisse; qua post longum tempus tandem sedata puellam ad corpus mortuum conspectam esse, v. 422 seqq. καὶ τοῦδ' ἀπαλλαγέντος ἐν χρόνῳ μακρῷ | ἡ παῖς

[1] Licet suspicari, veteres nonnihil delectatos esse hoc celeberrimæ tragoediæ episodium sibi cogitatione informando; et quidem eos rem nocturno tempore peragi sibi finxisse, inde, nisi fallor, apparet, quod etiam picturis hæc ita descripserunt, tanquam si noctu perfecta essent; Philostratus quidem, 'Imag.' II, 29, de opere artificis cujusdam, a quo depicta erat Antigona, hæc memoriæ prodidit: Πολυνείκην τὸν Οἰδίποδος 'Αντιγόνη ἡ ἀδελφὴ θάπτει νύκτωρ ἐκφοιτήσασα τοῦ τείχους — — σελήνη προσβάλλει φῶς οὔπω πιστὸν ὀφθαλμοῖς κ. τ. λ., quem quidem artificem in opere concipiendo descriptione, quæ inest in fabula Sophoclea, ductum fuisse facile mihi persuaserim; cfr præterea Hygin. fab. 72: Antigona soror et Argia conjunx *clam noctu* Polynicis corpus sublatum in eadem pyra qua Eteocles sepultus est imposuerunt'; qui tamen hic, ut sæpius, narrationes inter se diversas in unum contulisse videtur.

ὁρᾶται κ. τ. λ.; quam quidem facinus confessam a sese ad regem ductam esse. Tum reliqua sequitur tragoediæ actio, quæ 1000 fere versus continet, quam quidem ceteram diei partem explere satis apparet[1].

Reliquæ fabulæ Sophocleæ ab hac parte simili fere ratione compositæ sunt[2]. Excipienda tamen est fabula, quæ inscribitur '*Trachiniæ*'[3]. In hac fabula desideratur id, quod 'Oedipi Regis' maxime proprium est: neque enim actio 'Trachiniarum' a puncto temporis incipit, quo res jam eo processerunt, ut exitus fatalis prope imminens spectatori appareat. Argumentum tragoediæ continetur misera fortuna, qua et Deianira et Hercules una feriuntur: illa autem Trachine, ubi res in tragoedia aguntur, perit, hunc in Euboea pernicies opprimit. Inter hæc duo loca ter, dum res aguntur, iter perfectum esse comperimus: in prologo Hyllus itineri se dat (v. 86), ut patrem conveniat, quem in Oechalia, urbe Euboeæ, oppugnanda occupatum esse cognovit (v. 74); in primo episodio Lichas urbem illam captam esse nuntiaturus advenit (v. 188), a quo Herculem in promontorio Cenæo relictum esse accipimus; in episodio tertio Lichas eodem revertitur vestem illam fatalem Herculi ferens (v. 624); in episodio quarto Hyllus a promontorio Cenæo reversus (v. 743) narrat, Licham interea ad Euboeam pervenisse (v. 757) seque ipsum, cum tristis accidisset casus, patrem ab Euboea Trachinem transportavisse (v. 803 seqq.). Quia igitur summa rerum modo Trachine modo in Euboea aguntur, cum scenam per totam fabulam eandem esse oporteat, haud ita parvas temporis intercapedines inter quædam singulorum episodiorum fingendas esse satis apparet[4]. In hac fabula, etiamsi argu-

[1] Cfr Jungwirth, l. c. pag. 27 seqq.

[2] Cfr ea, quæ disputavit Jungwirth de 'Ajace' l. c. pag. 17, de 'Philocteta' pag. 21, de 'Oedipo Col.' pag. 23, de 'Electra' pag. 29.

[3] Cfr Jungwirth, l. c. pag. 31; Jebb, 'The Trachiniæ', Cambr. 1892, pag. 42, 3.

[4] Cfr M. Rapp, l. c. pag. 66: 'Die Zeit ist zwar nicht auf vierundzwanzig Stunden, aber doch leicht auf wenige Tage zusammenzufassen'.

mentum tragoediæ Sophocleæ forsitan non satis aptum fuerit[1], tamen facere non possum, quin artem Sophocleam sine ulla dubitatione genuinam admirer[2]. Vix dubito viris assentiri doctissimis hanc tragoediam, ut quæ in nonnullis rebus fabularum Euripidearum similitudinem præbeat, ad extremam Sophoclis ætatem referentibus[3]. Et quidem rem, de qua in hac disputatione quærimus, in nonnullis fabulis Euripideis simili ratione institutam esse paulo infra videbimus. —

E fabulis quæ exstant *Euripidis* Aeschyleas Sophocleasque numero superantibus nonnullæ reperiuntur, quarum compositionem vituperaverunt viri docti, quod earum argumenta unitate cohærentiaque, quam desideraret Aristoteles[4], carerent; in quarum numerum duxerunt 'Hecubam'[5] 'Herculem furentem'[6] 'Troades'[7] 'Andromacham'[8]. Inter ceteras fabulas Euripideas, quæ circa unam actionem compositæ

[1] Schück, l. c. pag. 159.

[2] Cfr Jebb, 'The Trach.' Introd. pag. 43: — 'here we may observe the subtlety of the poet, who has introduced two direct allusions to the passage of time. Lichas, about to start for Euboea, remarks that he has already stayed too long (v. 599); and the Chorus prays that the ship which is bringing Heracles 'may not tarry' (v. 655). This is like the art of a diplomatist who diverts suspicion by apparent frankness.'

[3] Bernhardy, l. c. pag. 817 seqq. Wilamowitz, 'Eur. Her.' Berlin 1889, I[1] pag. 382 seqq.; Jebb, 'The Trach.' Introd. pag. 33 seqq.; dissentit Bergk, l. c. III pag. 398 seqq., 'de Sophoclis arte', pag. 26.

[4] V. supra pag. 32 seqq.

[5] V. Schlegel, l. c., I, pag. 167, Hermann, 'Eurip. Hec.' Præf. pag. 15 seqq.; contra unitatem actionis hujus fabulæ iam diserte defendit Hutter, 'Ueber die Einheit der Handlung in der Hecuba des Eur.' Progr. München 1836; cfr etiam Pflugk-Wecklein, 'Eur. Hec.', Prooem. pag. 5, Wilamowitz, 'Eurip. Herakles', I pag. 108 n. 64; K. Otfr. Müller, 'Geschichte der griech. Literatur', II, pag. 148, 9.

[6] Schlegel, l. c. I pag. 168; cfr Weil, l. c. pag. 193 seqq.; v. contra Wilamowitz, l. c. ib., pag. 361 seqq.

[7] Schlegel, l. c. I pag. 166; Croiset, l. c. III pag. 312 seqq. Præterea actiones, quæ in his tribus fabulis repræsentantur, intra unum diem consistere videntur.

[8] V. infra pag. 52 seqq.

esse videntur, illas, quarum argumenta continent μεταβολὴν εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας, – ut 'Alcestis' 'Iphigenia Taurica' 'Ion' 'Helena'[1] — discernere licet ab iis, quarum actio est μεταβολὴ ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν, in quarum numero sunt 'Phoenissæ' 'Medea' 'Hippolytus'. Hanc tragoediæ formam, quam proxime dixi, cui Aristoteles palmam tribuit[2], primum breviter inspiciamus. — Apud Sophoclem forma et materies tragoediæ inter se aptæ et convenientes sunt. Euripidem contra neque formam tragoediæ receptam immutare voluisse et materiem magna ex parte novam in tragoediam induxisse apparet. Iam Sophoclem ipsum, quid suæ artis proprium esset quoque ab arte Euripidea inprimis differre sibi videretur, satis acute expressisse scimus[3]. Porro Euripidem studuisse apparet, ut mores personarum tragoediæ accuratius quam priores effingeret[4]. Aristoteles quidem contendit, fabulam principium atque caput esse tragoediæ, cum morum descriptio secundum tantum teneat locum[5]; tamen admirationem non movet, quod Euripides, cum argumenta tragica iam sæpius tractata essent, minorem delectandi spem in fabula ipsa narranda posuit, quæ ut satis bene iam nota studia spectatorum minus alliceret, quam in moribus personarum ita effingendis, ut omnia, quæ agerentur, ex iis proficisci atque evenire viderentur. Recte quidem dicitur

[1] V. infra pag. 51 seqq.

[2] Poet. 1453 a 14 ἀνάγκη ἄρα τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον — μεταβάλλειν οὐκ εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας ἀλλὰ τοὐναντίον ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν.

[3] Poet. 1460 b 36 Σοφοκλῆς ἔφη αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ οἷοι εἰσίν (Cfr Aristoph. Ran. v. 959, ubi Euripides ipse gloriatur ut οἰκεῖα πράγματ' εἰσάγων, οἷς χρώμεθ', οἷς ξύνεσμεν,); ceterum illa enuntiatio Sophoclis quomodo audienda sit, inter viros doctos non satis constat; v. Hurd apud Lessing, l. c. pag. 387 seqq., Schlegel, l. c. I pag. 136; aliter Solger, 'Nachg. Schriften', II pag. 452, Ed. Müller, l. c. I pag. 223 n. 3.

[4] Cfr Steinhart, 'Euripides' Charakteristik und Motivierung', apud Gosche, Archiv für Litteraturgesch. I Lpg. 1870, 2, inprimis pag. 6 seqq.

[5] Poet. 1450 b 1 ἀρχὴ μὲν οὖν καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγῳδίας, δεύτερον δὲ τὰ ἤθη; cfr 1450 a 16—40.

Euripides hanc materiam in tragoediam inducendo et novæ comoediæ[1] et nostræ tragoediæ quodam modo viam munivisse; tamen huic novæ materiæ forma tragoediæ græcæ antiquitus recepta omnino apta non erat[2]; id quod in fabula, quæ inscribitur *'Phoenissæ'*, satis apparere credo. Neque enim Euripides in hac fabula satis habebat — ut Aeschylus in 'Septem ad Thebas' — causam miseri eventus, qui repræsentandus erat, ad exsecrationem, quæ totum genus Labdacidarum vexaret, referre (cfr Aesch. Sept. inprimis v. 741 seqq.), sed miserum hunc fabulæ exitum inprimis e moribus ipsis personarum provenientem fecit; quos ut accurate describendi facultatem pararet, novo actu ei opus fuit: fratrum inimicorum, quos inter se opposuit in episodio illo magno v. 261—637, mores ita effinxit, ut omni reconciliationis spe ablata catastropham inevitabilem esse appareat. Præterea poeta argumentum hujus fabulæ dilatavit repræsentando mortem Menoecei et expulsionem Oedipodis[3], quibus episodiis cum summa rerum externa tantum cohærentia est[4]. Postulabat autem forma tragoediæ græcæ re-

[1] Croiset, l. c. III pag. 335; cfr Wilamowitz, l. c. I pag. 111, alios.

[2] Cfr Sittl, l. c. III pag. 328.

[3] Cfr Weil, l. c. pag. 166 seqq.

[4] Iam Aristophanes grammaticus nostram fabulam ab hac parte vituperavit, argum. 22 Τὸ δρᾶμά ἐστι μὲν ταῖς σκηνικαῖς ὄψεσι κάλλιστον, ἐπεὶ < σοδιῶδες conj. Bergk, l. c. III pag. 562 > δὲ καὶ παραπληρωματικόν; quæ cum ita sint, haud scio an reprehensiones Aristotelis Poet. 1451 b 33 seqq.: τῶν ἁπλῶν μύθων καὶ πράξεων αἱ ἐπεισοδιώδεις εἰσὶν χείρισται. λέγω δ' ἐπεισοδιώδη μῦθον, ἐν ᾧ τὰ ἐπεισόδια μετ' ἄλληλα οὔτ' εἰκὸς οὔτ' ἀνάγκη εἶναι. τοιαῦται δὲ ποιοῦνται ὑπὸ μὲν τῶν φαύλων ποιητῶν δι' αὐτούς, ὑπὸ δὲ τῶν ἀγαθῶν διὰ τοὺς ὑποκριτάς· ἀγωνίσματα γὰρ ποιοῦντες καὶ παρὰ τὴν δύναμιν παρατείνοντες μῦθον πολλάκις διαστρέφειν ἀναγκάζονται τὸ ἐφεξῆς; coll. cum 1456 a 11 seqq. χρὴ — μὴ ποιεῖν ἐποποιικὸν σύστημα τραγῳδίαν. ἐποποιικὸν δὲ λέγω τὸ πολύμυθον — ad hanc fabulam ejusque similes recte referantur; loco insequenti, 1456 a 17, ubi nominatur Euripides, utrum hic laudatus an vituperatus sit, dijudicare non ausim, cum locus 'difficillimus et graviter corruptus sit' (Nauck); alio tamen loco, Poet. 1453 a 28, Aristotelem oeconomiam Euripidis dramaticam nomen poetæ afferentem vituperavisse constat: ὁ Εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ.

cepta, quam Euripides dissolvere nolebat, ut actio repræsentaretur continua. Itaque cum poeta materiam uberiorem in hanc formam induceret, fieri non potuit, quin hæc sæpius violaretur; et quidem contra verisimilitudinem omnino, nisi fallor, repugnat, omnia, quæ in 'Phoenissis' aguntur, actione continua atque intra exiguum temporis spatium evenisse. — Si quidem putandum est, Agathonem, poetam eorundem temporum tragicum, novis in tragoedia rebus — impensius forsitan quam Euripidem — studuisse, haud scio an ille formam tragoediæ sic immutaverit, ut novæ materiæ aptius constaret. Nam cum chorum cantica quædam inserta, quæ embolima nominabant, quæ quidem ad argumentum fabulæ omnino non pertinerent, canentem faceret [1], chorus actionis fabulæ particeps esse omnino desivisse videtur, ut ejus præsentia poeta non modo actionem continuam repræsentare non iam cogeretur, verum etiam his embolimis vel majores actionis intercapedines indicare posset. Hoc novum institutum Aristoteles quidem diserte improbavit [2], sine dubio quod eo formam tragoediæ classicam dissolvi indigne ferebat. Tamen incremento tragoediæ græcæ, quod tum fiebat, nostram tragoediam quodam modo præmunitam esse considerantibus nobis non est, cur novum Agathonis institutum omnino condemnemus, quippe quo perfecta actuum divisio, quam nos habemus, quodam modo orta esse videatur [3]: itaque cum materies tragica non iam actione continua commode absolveretur, chorus ab actione sejungendus erat, ut poetæ plures actionis vicissitudines repræsentare liceret. Euripides quidem in hac re medium quendam cursum tenuisse videtur:

---

[1] Poet. 1456 a 30 ἐμβόλιμα ᾄδουσιν πρώτου ἄρξαντος Ἀγάθωνος τοῦ τοιούτου.

[2] Poet. ib. 28 τοῖς λοιποῖς τὰ ᾀδόμενα <οὐδὲν add. Vahlen> μᾶλλον τοῦ μύθου ἢ ἄλλης τραγῳδίας ἐστίν· — καίτοι τί διαφέρει ἢ ἐμβόλιμα ᾄδειν ἢ εἰ ῥῆσιν ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο ἁρμόττοι ἢ ἐπεισόδιον ὅλον; similiter Horatius, ad Pison. v. 193 seqq.: actoris partes chorus officiumque virile | defendat neu quid medios intercinat actus | quod non proposito conducat et hæreat apte.

[3] Cfr Croiset, l. c. III pag. 366.

neque enim chorum actione omnino exclusit neque eum nisi perraro[1] veras actionis partes sustinentem fecit[2]. Quo fit, ut actio continua quidem repræsentetur, quæ tamen ex episodiis constitit, quæ inter se contra verisimilitudinem arte conjuncta esse spectatori non imprudenti satis facile apparet[3].

Jam dixi, Euripidem operam dedisse, ut mores personarum fabulæ accuratius quam priores describeret. Qui ut quam gravissime manifestentur, personas fabularum perturbatione quadam animi vehementi vel libidine nimia in-

---

[1] Ut in fabula, quæ inscribitur 'Supplices'; cfr Arnoldt, 'Die chorische Technik des Euripides', Halle 1878, pag. 77.

[2] Rationem Euripideam chorum tractandi vituperat Aristoteles Poet. ib. καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι μὴ ὥσπερ Εὐριπίδῃ ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλεῖ; cfr schol. Aristoph. Acharn. v. 443 οὗτος (ὁ Εὐριπίδης) εἰσάγει τοὺς χοροὺς οὔτε τὰ ἀκόλουθα φθεγγομένους τῇ ὑποθέσει, ἀλλ' ἱστορίας τινὰς ἀπαγγέλλοντας, ὡς ἐν ταῖς Φοινίσσαις, οὔτε ἐμπαθῶς ἀντιλαμβανομένους τῶν ἀδικηθέντων, ἀλλὰ μεταξὺ ἀντιπίπτοντας; Accium apud Nonium pag. 178; cfr Arnoldt, l. c. pag. 46—116, qui recte demonstravit, Euripidem in scribendis fabulis cantica chori laxiore in dies vinculo cum actione connexuisse; ceterum facile apparet, etiam apud Sophoclem — ut apud Aristophanem — in posteriore quidem tragoediæ parte chorum sæpius non tam ea canere, quæ ex argumento fabulæ nascuntur, quam sententias ipsius poetæ pronuntiare; cfr Wilamowitz, l. c. I pag. 362 seqq.: 'Wie die Bewohner von Kolonos zusammenlaufen, weil ihr Eumenidenhain entweiht ist, das ist von Sophokles mit vollem dramatischem leben veranschaulicht, — aber das lied, welches die zeit ausfüllt, während dem die geraubten Mädchen befreit werden, ist schon ohne jede persönliche charakteristik, und das lied ὅστις τοῦ πλέονος μέρους ist vollends die individuelle klage des lebensmüden dichters'. Animadvertendum est, 'Oedipum Coloneum' a Sophocle extrema ætate compositum esse; apparet igitur structuram tragoediæ ab hac parte paulatim mutationem quandam subisse, quæ ne a Sophoclea quidem poesi aliena erat. In duabus fabulis Euripideis cantica chori occurrunt, nempe 'Iphig. Taur.' 1234—1283, 'Hel.' 1301—1368, quæ ab argumentis harum fabularum omnino aliena sunt; quæ cantica haud scio an ἐμβόλιμα recte appellentur; cfr K. Otfr. Müller, 'Geschichte der griech. Literatur', Stuttg. 1875, II pag. 142; aliter disputavit Hartung, 'Euripides restitutus' II, pag. 369 seqq.

[3] Cfr ea, quæ infra de 'Helena' et 'Andromacha' disputata sunt.

flammatas atque prope oppressas plerumque inducit; neque tamen in tragoedia græca, quæ artis terminis circumscripta esset, affectum animi quendam per gradus temporum sensim crescentem totamque hominis naturam paulatim opprimentem effingere licebat — id quod nostræ contigit tragoediæ, ut *Shakespeario* in fabula illa, quæ inscribitur 'Othello' [1], — ut ars Euripidea in eo fere consisteret, quod vehementes animi motus, cum iam ad summum, ut ita dicam, pervenissent, effingeret. Animo *Medeæ* — ut iam e fabulis exempla afferam — iam longe ante quam actio fabulæ incipit, consilium subrepsit paulatimque inveteravit Creontem Glaucenque ulciscendi liberosque suos occidendi, cfr v. 92, ubi nutrix dicit: *ἤδη γὰρ εἶδον ὄμμα νιν ταυρουμένην τοῖσδ' ὥς τι δρασείουσαν· οὐδὲ παύσεται | χόλου, σάφ' οἶδα, πρὶν κατασκῆψαι τινά. | ἐχθρούς γε μέντοι, μὴ φίλους, δράσειέ τι*; cfr v. 36 seqq., v. 113 seqq., v. 287 seqq., v. 791 seqq. [2] Actio tragoediæ incipit, cum Creo advenit Medeæ imperaturus, ut terra statim excedat, quod edictum hæsitationi subito finem facit Medeamque scelus iamdiu meditatum statim perficere cogit, ut quod prius perpetrandum sit, quam dies præterierit, cfr v. 340 *μίαν με μεῖναι τήνδ' ἔασον ἡμέραν*, v. 355 *νῦν δ', εἰ μένειν δεῖ, μίμν' ἐφ' ἡμέραν μίαν· — εἴ σ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ | καὶ παῖδας ἐντὸς τῆσδε τερμόνων χθονός, | θανεῖ·* v. 373 seqq. *τήνδ' ἐφῆκεν ἡμέραν | μεῖναί μ', ἐν ᾗ τρεῖς τῶν ἐμῶν ἐχθρῶν νεκροὺς | θήσω, πατέρα τε καὶ κόρην πόσιν τ' ἐμόν.* Hypoth. 6; quo fit, ut poetæ tantummodo liceat contentionem animi Medeæ, cum ad culmen ipsum pervenit,

[1] Cfr Ljunggren, 'Euripides' Medea karakteriserad och jemförd med Shakespeares Othello', Diss. Lund. 1847, pag. 39 seqq.

[2] Quæ cum ita sint, mihi quidem non recte dicta esse videntur, quæ disputavit Steinhart, l. c. pag. 25: 'Wir sehen hier ein gewaltig angelegtes Weib Schritt vor Schritt, durch eigene und fremde Schuld, tiefer und tiefer sinken, und indem wir das Böse in ihr *keimen, wachsen, reifen* sehen, wird uns klar, dass, wer einmal der blinden Naturgewalt über seinem Willen den Sieg eingeräumt hat, nach und nach des Grässlichsten fähig wird. — Noch ist sie weit entfernt von ihren grässlichen Thaten — noch hat das Böse in ihr keine feste Gestalt gewonnen'.

effingere, cum iam, ut ita dicam, gladium ad cædem perpetrandam attollit, v. 1019—1080[1]. Simili ratione composita est altera illa celeberrima 'tragoedia ethica' Euripidea, quæ inscribitur *'Hippolytus'*. Neque enim in hac fabula poeta perturbationem animi paulatim augescentem effinxit[2], ut qui Phædram iam a principio fabulæ libidine sua devictam induxerit, cfr descriptionem v. 131 seqq. Iam cum actio fabulæ incipit, res eo processerunt, ut exitus fatalis prope imminere spectatori videatur, cfr prologum, ubi dicit Venus se eodem die poenas, quas iam diu præparaverit (v. 23), ab Hippolyto sumere in animo habere, v. 21 τιμωρήσομαι Ἱππόλυτον ἐν τῇδ' ἡμέρᾳ, quod in extrema prologi parte gravissime repetit, cum Hippolytus cum sociis suis cantantibus appropinquat, v. 56 οὐ γὰρ οἶδ' ἀνεῳγμένας πύλας | Ἅιδου, φάος δὲ λοίσθιον βλέπων τόδε; jusso, quod edidit Hippolytus v. 110 καταψήχειν χρεὼν ἵππους, capessendo socii etiamnunc occupati sunt, cum Hippolytus in exsilium expellitur, v. 1173 seqq. ἡμεῖς μὲν ἀκτῆς κυμοδέγμονος πέλας | ψήκτραισιν ἵππων ἐκτενίζομεν τρίχας | κλαίοντες· ἦλθε γάρ τις ἄγγελος λέγων | ὡς οὐκέτ' ἐν γῇ τῇδ' ἀναστρέφοι πόδα | Ἱππό-

[1] Ejusmodi aliquid SCHLEGELIO obversatum esse videtur ita disputanti, l. c. I pag. 165: 'Sie kündigt ihr Vorhaben zu frühzeitig und zu bestimmt an, statt es bloss wie eine verworrene schwarze Ahndung zu hegen'; quod tamen secundum naturam tragoediæ græcæ necessario ita instituendum fuisse, ex iis, quæ disputavi, satis apparere crediderim; conferenda sunt, quæ idem auctor alio loco disseruit, l. c. II pag. 35: 'Der gewaltige Kreislauf der menschlichen Schicksale geht seinen gemessenen Schritt wie der Wechsel der Jahreszeiten; grosse Entschlüsse reifen langsam; die nächtlichen Eingebungen frevelnder Tücke treten aus den Abgründen des Gemüths scheu und zögernd ans Licht hervor'.

[2] Neque enim ea, quæ disputavit BERNHARDY, l. c. II pag. 869: 'Die Geschichte und *den Stufengang einer unmerklich entzündeten,* umsonst durch das Bewusstsein der Pflicht und Ehre niedergehaltenen Liebe hat Euripides in der feinsten psychologischen Zeichnung entwickelt', mihi quidem recta videntur, nisi forte auctor elegantissimus, cum ita disputaret, ad ea, quæ Phædra de se ipsa narrat v. 390 seqq., spectavit.

λυτος, ἐκ σοῦ τλήμονας φυγὰς ἔχων[1]. Itaque apparet, 'tragoediam ethicam' Euripideam pariter ac tragoediam, ut ita dicam, 'activam' intra exiguum temporis spatium consistere. Quæ cum ita sint, arti Euripideæ in eo fere necessario consistendum est, ut graves mentis humanæ affectiones summo tantummodo, ut ita dicam, fastigio depingat, et id ita quidem, ut exitus fatalis inevitabilis et prope diem eventurus spectatoribus statim appareat; qua in arte haud scio an hic inter tragicos omnium temporum poetas maxime excelluerit: crediderim equidem, poetam nostrum propter hanc inprimis virtutem Aristoteli dignum visum esse, quem τραγικώτατον diceret τῶν ποιητῶν[2].

Jam transeo ad eas fabulas Euripideas, quæ minus accurate vel nonnunquam etiam negligenter compositæ esse videntur. In quibus non iam ipsa argumenti natura efficitur, ut actio tragoediæ intra breve temporis spatium con-

---

[1] Barthold, 'Euripides Hippol.' Berlin 1880, ad locum: 'Danach erscheint die Handlung des Stücks nicht nur auf einen Tag, sondern sogar auf wenige Stunden zusammengedrängt'.

[2] Poet. 1453 a 29; etiam ceteros antiquos Euripidem propter perfectissimam morum descriptionem inprimis admiratos esse apparet ex Dion. Chrysost. 18, 7: ἤθη καὶ πάθη δεινὸς πληρῶσαι (ὁ Εὐριπίδης); Longin. 'de sublim.' 15, 3: ἔστι μὲν οὖν φιλοπονώτατος ὁ Εὐριπίδης δύο ταυτὶ πάθη, μανίας τε καὶ ἔρωτας, ἐκτραγῳδῆσαι κἂν τούτοις ὡς οὐκ οἶδ' εἴ τις ἕτερος ἐπιτυχέστατος; schol. Oed. R. v. 264: ταῖς κινητικαῖς ἐννοίαις πλεονάζει Εὐριπίδης; ad artem, qua Euripides affectus depinxerit, laudem Aristotelis illam referendam esse, qui putaret, inter auctores nostros inveni summum virum A. Nauck, 'Eur. Tragoed.' Lpg 1889, Præf. 'de Eurip. ingenio', pag. 40; ceterum illud Aristotelis de Euripide judicium alii auctores alio modo interpretati sunt; cfr Lessing, l. c. cap. 49, pag. 207 seqq. Ed. Müller, l. c. II pag. 140, Döring, l. c. pag. 223, 240; laudem ab Aristotele Euripidi his verbis tributam quam maxime recidere conatur Schwabe, 'Aristoteles als Kritiker des Euripides', Jahrb. für class. Philol. 109, pag. 97—108, 'Aristophanes und Aristot. als Krit. des Eur.' Progr. Crefeld 1878; contra disputaverunt Neidhardt, 'de Euripide poetarum maxime tragico', dissert. philol. Halenses III pag. 281 seqq. Stahr, 'Arist. Poetik übers. und erkl.' Einleit. IV pag. 60 seqq.; ad artem, qua Euripides in fabulis agnitiones instituerit, illa Aristotelis verba referenda esse censet Croiset, l. c. III pag. 316.

sistat, verum tantum 'regula' quadam arbitraria, ad quam magis minusve verisimili modo tragoedia dirigitur. Ne in hac disputationis parte longus sim, tantummodo exempli causa ἄλογα quædam afferam, quæ inde orta sunt. In primo '*Helenæ*' actu Teucrum in Aegyptum venire videmus ibique Helenam convenire, quam certiorem facit, verisimile esse, Menelaum mortem oppetivisse. Quem casum postquam Helena carmine flebili deploravit, choro hortante domum regiam intrat, ut a Theonoa pro certo comperiat, Menelaus etiamnunc in vita sit necne. Tum Menelaus ipse advenit. Satis apparet, hæc duo episodia, quibus Teucer et Menelaus in scenam inducuntur, inter se non apte cohærere, id quod editores iam animadverterunt. Teucrum enim advenisse comperimus, ut a Theonoa certior fiat, qui sibi cursus tenendus sit, ut ad finem erroris prospere perveniat, v. 146 ὡς τύχω μαντευμάτων | ὅπῃ νεὼς στείλαιμ' ἂν οὔριον πτερὸν | εἰς γῆν ἐναλίαν Κύπρον; postquam ei Helena suasit, ut tantummodo quam celerrime abiret, quippe cui ipsa navigatio viam monstratura esset, (v. 151 πλοῦς, ὦ ξέν', αὐτὸς σημανεῖ) hunc statim profectum esse et vento secundo ad finem itineris pervenisse pro certo sumendum esse mihi videtur, cum in tragoedia partes sustinere desistat. Cum Menelao nulla ei res est. Hic contra tempestate in litus Aegypti ejectus naufragus inducitur — id quod necessarium erat, ut nodus fabulæ necti posset, — cfr v. 408 seqq. καὶ νῦν τάλας ναυαγὸς ἀπολέσας φίλους | ἐξέπεσον εἰς γῆν τήνδε· ναῦς δὲ πρὸς πέτρας | πολλοὺς ἀριθμοὺς ἄγνυται ναυαγίων. | τρόπις δ' ἐλείφθη ποικίλων ἁρμοσμάτων, | ἐφ' ἧς ἐσώθην μόλις ἀνελπίστῳ τύχῃ, et descriptionem, quæ sequitur. Quibus quamquam satis apparet, hæc duo episodia inter se non apte constare, tamen diserte indicatum est iam ab initio, totam fabulæ actionem puncto temporis consistere: Helenam enim summa necessitate coactam ad tumulum Protei confugisse, ut ab insectationibus Theoclymeni tuta esset, initio tragoediæ comperimus (v. 64 Πρωτέως μνῆμα προσπίτνω τόδε ἱκέτις), dum rex ipse forte absit — quo facultas paratur do-

lum ei struendi, — venationis causa (v. 153 ἄπεστι κυσὶν πεποιθὼς ἐν φοναῖς θηροκτόνοις) a qua revertitur ad v. 1169 ὑμεῖς μὲν οὖν κύνας τε καὶ θηρῶν βρόχους. | δμῶες, κομίζετ' εἰς δόμους τυραννικούς. His igitur omnino non convenienter poeta Teucrum Cyprum navigantem induxit — videlicet ut facultatem sibi pararet lamentationes illas magnificas v. 164—385 conscribendi, quibus arte componendis poetam nostrum valde præstitisse inter omnes constat[1]. Tamen haud scio an ejusmodi compositionis vitium spectatores tum, cum fabula ageretur, effugere potuerit, quamquam fieri vix potest, quin id lector non imprudens animadvertat. Ceterum si episodii, quo Teucer inducitur, rationem non habemus, hæc fabula in ceteris partibus satis accurate composita esse videtur.

Maxime autem ejusmodi compositionis vitia offendunt in fabulis, quæ ex episodiis compositæ sunt, quæ non ita inter se cohæreant, ut actio absolvatur una. Inspiciamus ad extremum fabulam, quæ inscribitur '*Andromacha*'; quæ haud scio an inter omnes fabulas Euripideas vel negligentissime composita sit[2]; ut mihi quidem specimen ostendere videatur artis Euripideæ senio, ut ita dicam, quodam corruptæ[3]. Res Phthiæ, in urbe Thessaliæ, aguntur. In priore tragoediæ parte, v. 1—765, Hermiona paterque ejus Menelaus vitæ Andromachæ ejusque filii insidias moliuntur, quas Peleus interveniens irritas facit. Tum Andromacha

[1] Cfr etiam ea, quæ disputaverunt C. M. W.(ieland), 'Grundriss und Beurtheilung der Helena des Euripides', Neues Att. Mus. II pag. 16 seqq. Lindskog, 'Studien zum antiken Drama', Lund 1897, pag. 114.

[2] Hartung solus auctorum, quos equidem inspexi, unitatem argumenti hujus fabulæ defendere conatus est, 'Eurip. restit.' II, pag. 108 seqq.

[3] Cfr Bergk, l. c. III, pag. 584 seqq.; quamquam satis scio, inter viros doctos non constare, qua poeta ætate hanc fabulam conscripserit; cfr schol. v. 446: εἰλικρινῶς τοὺς τοῦ δράματος χρόνους οὐκ ἔστι λαβεῖν; ad extremam poetæ ætatem hanc fabulam referendam esse censet Bergk, l. c. III, pag. 540 seqq.; contra ad tempus ante annum 425 Wilamowitz, l. c. I, pag. 348.

nec non et Menelaus a scena digressi partes in tragoedia sustinere omnino desistunt. Insequenti tragoediæ actu, v. 801—1008, in scenam inductus Orestes, cui veteres cum Neoptolemo inimicitiæ sunt propter Hermionam ab hoc in matrimonium ductam, Hermionam e domo mariti secum aufert, ut eam in matrimonium ducat, postquam illum occiderit. Tum de Hermiona ne minima quidem in reliqua tragoediæ parte mentio fit [1]. Et nunc quidem maxime studio tenemur cognoscendi, quem eventum habituræ sint insidiæ, quas, ut nobis compertum habemus, Orestes Neoptolemo Delphis struit. De quo spectatores certiores facere non licebat nisi narratione nuntii, quo fit, ut inter profectionem Orestis et adventum hujus nuntii intervallum temporis exsistat tantum, quantum spectator difficile mente perlustret; in quo hæc fere evenire videntur: proficiscitur Orestes Delphos, (forsitan etiam Spartam, ut Hermionam Menelao tradat, secundum v. 984 ἄξω σ' ἀπ' οἴκων καὶ πατρὸς δώσω χερί): quo postquam pervenit, Neoptolemo insidias subdole machinatur eum apud populum Delphorum criminando (v. 1090 seqq. Ἀγαμέμνονος δὲ παὶς διαστείχων πόλιν | εἰς οὓς ἑκάστῳ δυσμενεῖς ηὔδα λόγους, et ea, quæ sequuntur); interficitur Neoptolemus; mortuum famuli Phthiam domum ferunt, — quæ omnia multorum dierum spatium explevisse satis apparet. Ut quis in scena præsto esset, ad quem nuntius de morte Neoptolemi deferri posset, poeta Peleum, ut primum fugam Hermionæ fama accepit, celeriter advenientem fecit. Hunc autem in actionem aliquam inducere non licebat, cum ceteræ omnes fabulæ personæ iam dudum a scena abessent; quo factum est, ut nuntius eodem fere quo Peleus tempore adveniret; quamquam hic prædicat, se primo nuntio de profectione Hermionæ Orestisque allato festinanter advenisse (v. 1047 seqq. Φθιώτιδες γυναῖκες, ἱστο-

[1] Dum chorus stasimum v. 1009—1046 canit, nemo in fabula agentium ne in vicinitate quidem est ejus loci, ubi res aguntur; ut appareat, etiam 'unitatem loci', quam dicunt, poetæ impedimento fuisse; revera enim res nunc Delphis aguntur.

ροῦντί μοι | σημῆναι· ᾐσθόμην γὰρ οὐ σαφῆ λόγον | ὡς δώματ' ἐκλιποῦσα Μενέλεω κόρη | φρούδη τάδ'· ἥκω δ' ἐκμαθεῖν σπουδὴν ἔχων, | εἰ ταῦτ' ἀληθῆ·), cum nuntius non prius adveniat, quam omnia, quæ supra enumeravi, evenerunt[1]. Fieri vix potuisse crediderim, quin ejusmodi compositionis vitium spectatores, cum fabula ageretur, offenderet[2]. In extrema tragoediæ parte Thetis interveniens Peleo promittit, eum immortalitate præditum ad deos receptum iri; cui rei cum antecedentibus nulla fere cohærentia est. Dum hæc omnia aguntur, chorus in orchestra collectus fideliter remanet, quamquam nulla alia de causa convenit, nisi ut Andromacham consiliis suis juvaret, v. 199 seqq[3].

— — — —

Ea, quæ iam disputata sunt, paucis comprehendenti mihi hæc fere inventa esse videntur. *Aeschylo* nondum curæ est, ut fabulam ita componat, ut actio intra exiguum temporis spatium consistat; quod cum in 'Orestea', quam extrema ætate conscripsit, satis appareat, suspicari licet, eum omnino non nisi fortuito hanc 'legem' servavisse, nimirum cum ipsa argumenti natura ejus servandæ ansam præberet. Contra in fabulis *Sophocleis*, si quidem 'Trachiniarum' rationem non habemus, 'legem' illam satis accurate servatam inveni, cujus rei causa, si quidem recte disserui, exstitit ipsa actionis natura, ut quæ apud Sophoclem plerumque nihil nisi subitam fortunæ mutationem contineret. Etiam apud *Euripidem* 'lex' illa, de qua disputamus, necessitate quadam servata apparuit, quamquam non iam ad naturam argumentorum ejus fabularum apte quadrat, ut

[1] Bergk: 'die Ermordung des Neoptolemos in Delphi wird gemeldet, nachdem Orestes, der Anstifter der Frevelthat, eben erst Phthia verlassen hatte, um seinen Plan auszuführen'.

[2] Neque vero Euripides ipse hanc fabulam docuisse videtur, schol. ad v. 445.

[3] De quibusdam ceterarum Euripidis fabularum aliqua disputata sunt infra pag. 56 seqq.

satis appareat, hanc compositionis legem iam in fabulis Euripideis regulam quandam arbitrariam evasisse. Et quidem iam initio disputationis occurrit, præsentiam chori, ne spectatorem offenderet, poetæ necessitatem hujus legis servandæ plerumque attulisse. Tamen Aeschylo, cujus temporibus apparatum scenæ satis simplicem fuisse suspicamur, aliquando scenam mutare licuit, postquam chorum sub prætextu commodo ex orchestra removit, ut eum tum in novam scenam induceret; cum ejusmodi autem scenæ mutatione vel majorem temporis intercapedinem apte conjungi apparet (cfr ea, quæ de 'Eumenidibus' supra disputata sunt). Post tempora Sophoclis haud scio an scena signis picturisque ornatior fuerit[1], quam ut commode mutari posset; neque enim mutationem scenæ in tragoediis Sophocleis post 'Ajacem' compositis invenimus. Quamobrem et Euripidi et ceteris poetis tragicis, cum scenam mutare non liceret, etiam intra exiguum temporis spatium actionem astringere necesse fuit, quamquam sæpius argumenta satis magna tractavisse videntur[2]. Tum Agatho chorum actione exclusisse videtur; hoc autem novum institutum quantum ad compositionem tragoediæ valuerit, non satis constat.

In tragoedia igitur græca propter præsentiam chori, quippe qui in orchestra sine intermissione plerumque rebus adesset cuique omnia, quæ in scena agebantur, materiem ad reputandum præberent, singula fabulæ episodia multo artius quam in tragoedia nostra singuli actus inter se connexa fuisse apparet. Tamen quamvis cogitationes, quas chorus in canticis suis proponit, singula episodia inter se colligent, ab altera parte his lyricis tragoediæ partibus stationes quædam actionis efficiuntur, quas cantica chori explent neque metiuntur; inter quas sæpius fingendum est nonnullas res, quas in scena repræsentare non liceat, aliis quibusdam

---

[1] Cfr Ar. Poet. 1449 a 17 — σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς (sc. παρεσκεύασεν).

[2] Ar. Poet. 1456 a 16.

locis peractas esse[1]. In hac quidem re Sophocles non minus quam Aeschylus et Euripides in imaginatione spectatoris ut prompta atque benigna magnam spem posuisse videtur. Sic in 'Supplicibus' Aeschyli inter canticum chori v. 527—602 concilium populi habitum esse accipimus; in 'Supplicibus' Euripidis inter canticum chori v. 365—380 non modo concilium populi habetur verum etiam exercitus colligitur, v. 354 λαβὼν Ἄδραστον δεῖγμα τῶν ἐμῶν λόγων εἰς πλῆθος ἀστῶν εἶμι· καὶ πείσας τάδε, | λεκτοὺς ἀθροίσας δεῦρ' Ἀθηναίων κόρους | ἥξω· coll. cum v. 391 στρατὸς δὲ θάσσει κἀξετάζεται παρὼν | Καλλίχορον ἀμφὶ σεμνὸν εὐτρεπὴς ὅδε; in 'Heraclidis' inter breve chori canticum v. 353—380 et hæc geruntur et rex Atheniensium adversus hostes speculatum exit et sacra ad voluntatem deorum explorandam procurantur, v. 335 κἀγὼ μὲν ἀστῶν σύλλογον ποιήσομαι | τάξω δ' ὅπως ἂν τὸν Μυκηναίων στρατὸν | πολλῇ δέχωμαι χειρί· πρῶτα μὲν σκοποὺς | πέμψω πρὸς αὐτόν, μὴ λάθῃ με προσπεσών· | μάντεις δ' ἀθροίσας θύσομαι· coll. cum v. 389 seqq. ἥκει στράτευμ' Ἀργεῖον Εὐρυσθεύς τ' ἄναξ· | ἐγώ νιν αὐτὸς εἶδον. — πόλις τ' ἐν ὅπλοις σφάγιά θ' ἡτοιμασμένα | ἕστηκεν οἷς χρὴ ταῦτα τέμνεσθαι θεῶν — σφάξαι κελεύουσίν με παρθένον κόρῃ Δήμητρος[2]; in Aeschyli 'Septem' inter canticum chori v. 718—785 proelio decertatur, item in Euripidis 'Phoenissis' inter v. 1018—1066, in 'Heraclidis' inter v. 748—783; quin etiam in 'Supplicibus' ejusdem poetæ inter stasimum v. 598—633 Theseum ad Thebas cum exercitu profectum esse comperimus urbemque vi expugnavisse, cfr v. 589 χωρήσομαι ἑπτὰ πρὸς Κάδμου πύλας et ea, quæ sequuntur, coll. cum v. 634 seqq.[3]; in 'Oedipo Coloneo' inter stasimum v. 1020—1063 Theseus filias Oedipi a Creonte abreptas assecutus liberat atque ad patrem reducit; in 'Hippolyto' inter stasi-

[1] Cfr ea, quæ disputavit Croiset, l. c. III, pag. 130; Schlegel, l. c. II pag. 26; Döring, l. c. pag. 235, 6.

[2] Etiam in 'Hecuba' et 'Troadibus' similia occurrunt, quæ animadvertit Firnhaber, 'Eurip. Hec. Troaden und Ifig.' (Rhein. Mus. I pag. 222 seqq.), pag. 233.

[3] Cfr Bergk, l. c. pag. 532.

mum v. 1102—1150 Hippolytum interisse accipimus; in 'Iphigenia Taurica' inter stasimum v. 1234—1283 Orestes et Iphigenia fuga salutem sibi parant; item Menelaus et Helena in 'Helena' inter v. 1451—1511 [1]. In 'Trachiniis' inter stasimum v. 633—646 inter Trachinem et Euboeam ultro citroque iter factum esse comperimus [2]. Majorem temporis intercapedinem, qua nihil evenit, quod ad actionem fabulæ majoris momenti sit, Aeschylus indicavit in 'Choëphoris' inter v. 583—642 [3]. Quamquam longum est omnia hujus rei exempla enumerare, quæ quidem in tragoediis sæpissime occurrunt. Præterea in fabulis Græcorum minora hujusmodi ἄλογα sæpius occurrunt: sic fama nonnumquam incredibili celeritate pervagatur, ut in 'Oedipo Coloneo' fama de Oedipi in Colonum adventu vel in 'Ajace' fama de morte herois [4]. Item iam Dio Chrysostomus rhetor animadvertit [5], præcones in fabulis sæpius incredibili celeritate proficisci: πολλάκις ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ παραγιγνομένους ποιοῦσι τοὺς κήρυκας πλειόνων ἡμερῶν ὁδόν. Ejusmodi ἄλογα tam parvi momenti esse apparet, ut ne minimam quidem offensionem habeant; neque enim spectator de his rebus cogitet necesse est, ut quæ quodam modo, ut ita dicam, extra actionem sint [6]. Sin autem poeta permultas et nimias tem-

[1] Croiset: 'Euripide traite le temps avec autant de liberté qu' Eschyle. Ses stasima, comme ceux du vieux poète, sont capables de tout. Ils représentent la durée des événements multiples aussi bien que celle d'une courte absence d'un acteur.'

[2] V. supra pag. 42 seqq.

[3] V. supra pag. 16.

[4] Ceterum ejusmodi famam, quæ ὄσσα vocabatur, græci ad numen divinum referre consueverant; cfr Soph. Aj. v. 998 seqq. ὀξεῖα γάρ σου βάξις ὡς θεοῦ τινος | διῆλθ' Ἀχαιοὺς πάντας, ὡς οἴχει θανών; Herodot. IX, 100.

[5] 'De arcu Philoctetæ' (52, 7).

[6] Hæc iam Lessing, l. c. cap. 45 pag. 191, excusavit ita disserendo: 'Wenn in einem Stücke von einem Orte zum andern gereiset wird, und diese Reise allein mehr als einen ganzen Tag erfordert, so ist der Fehler nur denen merklich, welche den Abstand des einen Ortes von dem andern wissen. Nun aber wissen nicht alle Menschen die geographischen Distanzen'; etc.

poris intercapedines constituerit inter ipsas res, quæ in scena repræsentantur, in quibus ipsis cogitatio spectatoris occupata sit, facile eventurum apparet, ut hic offendatur: id quod in fabulis Euripideis nonnumquam fortasse usu venit; haud scio an poeta noster in tragoediis, quæ inscribuntur 'Supplices' et 'Heraclidæ', ab hac parte plus licito ab imaginatione spectatoris desideraverit[1]; neque enim facile spectator sibi fingat, omnes res, quæ in his fabulis repræsentantur, continuo, ut in scena aguntur, sese tempore excepisse. Ceterum Aristoteles nos certiores facit, alios quosdam poetas tragicos, inter quos esset Agatho, in hac re longius quam Euripidem (si quidem textum loci corrupti recte restituit vir doctissimus Vahlen) et quidem nimis progressos ea ipsa de causa vel infeliciter certavisse vel etiam explosos esse[2], nimirum quod ab imaginatione spectatoris plus licito desiderantes fictionem dramaticam dissolvissent.

Juvat pauca exempla, quæ ad nostram rem illustrandam pertinere crediderim, afferre, quæ ex fabulis *Shakespearianis* collegi, ut comparare liceat, quanto ille majorem quam veteres spectatorum benignitatem in hac re desideraverit. Quod in fabulis hujus poetæ multo major ubertas atque varietas materiæ dramaticæ inest, etiam formam fabulæ multo liberiorem esse oportet. Tamen et hic non minus quam in tragoedia veterum finis quidam extremus constituendus est, extra quem progredi plerumque vix liceat, ne ars dramatica, quæ quidem inprimis 'imitatoria' esse debet, rerum naturam imitari omnino desistat. Et quidem *Shakespeare* ipse aliquando — ut in fabulis, quæ inscribuntur 'Henry V' et 'Winter's Tale', sensu quodam politissimo, quo semper utitur, indicavit, se suo ipsius iudicio

[1] De 'Heraclidis' ab hac parte nonnulla disputata inveni apud Schück, 'Världslitteraturens hist.' I, pag. 177.

[2] Ar. Poet. 1456 a 16 seqq. ὅσοι πέρσιν Ἰλίου ὅλην ἐποίησαν καὶ μὴ κατὰ μέρος ὥσπερ Εὐριπίδης <ἢ add. Vahlen> Νιόβην καὶ μὴ ὥσπερ Αἰσχύλος, ἢ ἐκπίπτουσιν ἢ κακῶς ἀγωνίζονται· ἐπεὶ καὶ Ἀγάθων ἐξέπεσεν ἐν τούτῳ μόνῳ.

hunc extremum transisse terminum. In priore fabularum, quas nominavi, per 'Chorum' a spectatoribus veniam hujus rei petit, cum ita dicat: 'Vouchsafe to those that have not read the story | That I may prompt them; and of such as have | I humbly pray them to admit th' excuse | of time, of numbers and due course of things | Which cannot in their huge and proper life | Be her presented' — — Imaginatio modo spectatoris quam promptissime fictioni poetæ opem ferat -- 'jumping o'er times | Turning th' accomplishment of many years | Into an hour-glass' — — —. Quin etiam in fabula, quæ inscribitur 'Winter's Tale', 'Tempus' ipsum 'Chorum' agens post finem tertii actus in scenam progressus spectatores hortatur, ut sibi fingant, sedecim annos præterire: 'I, -- that please some, try all; both joy and terror | Of good and bad; that make and undfold error, — Now take upon me, in the name of Time, | To use my wings. Impute it not a crime | To me and my swift passage, that I slide | O'er sixteen years, and leave the growth untried | Of that wide gap' etc. Quamquam non solum medios inter actus vel 'scenas', quas dicunt, Shakespeare sæpissime intervalla temporis satis magna indicavit, verum etiam intra eandem 'scenam' tempore quodam ficto plerumque utitur, i. e. tempus citius quam in rerum natura præteriens facit[1]. Sic in fabula, quæ inscribitur 'Richard III', actio, quæ in tertia 'scena' quinti actus repræsentatur, die ante pugnam Bosworthianam ad occasum solis incipit; in principio enim hujus 'scenæ' est: 'The weary sun hath made a golden set, | And, by the bright track of his fiery car, | Gives token of a goodly day to-morrow'. Paulo post rex interrogat: 'What is't o'clock?' Respondet Catesby: 'It's suppertime, my lord; It's none o'clock'. Tum ita dicitur: 'The silent hours steal on, | And flaky darkness breaks within the east'. Ad postremum rex quærit:

---

[1] 'Die Idealisirung der Zeit ist, wie alles Schöne, eine Zusammenziehung' Vischer, l. c. III, 2, 5 pag. 1396.

'How far into the morning is it, lords?' Respondent comites: 'Upon the stroke of four'. Etiam magis fortasse hoc conspicitur in fabula, quæ inscribitur 'Cymbeline', Act. II, sc. 2: Imogen: 'What hour is it?' Lady: 'Almost midnight, Madam'. Tum Jachimo ita in extrema parte sermonis, quo secum locutus est: [Clock strikes] 'One, two, three' — —[1]. Et quidem Shakespearium in hac re magnam spem posuisse in benignitate spectatorum, satis eo, nisi fallor, apparet, quod in fabula, quæ inscribitur 'Henry V', familiaritate quadam lepore condita spectatores per 'Chorum' hortatur, ut modo imaginationi quasi habenas mittant: 'Play with your fancies — — Work, work your thoughts — — Then brook abridgment — — still be kind! And eke out our performance with your mind' etc. Quod unus alterve ex criticis perpolitis atque severis, ut Philipp Sidney, quem lex de 'tribus unitatibus' in fabula non servata offenderet, ejusmodi absurditates ludibrio habebat[2], benignitatem majoris partis spectatorum in hac re imminuisse vix crediderim. — Haud scio an spectatores Aeschylearum saltem tragoediarum cum his rationibus atque natura coronæ Shakespearianæ fere congruerint. Contra post tempora Sophoclis vel majorem spectatorum partem in ejusmodi rebus satis delicato judicio usos esse suspicari licet. Quamobrem Aristoteles poetas tragicos suæ quidem ætatis graviter monet, ut in componendis fabulis quam maxime fieri possit res ipsas, quæ repræsentandæ sint, velut ante oculos sibi ponant, ut fabulæ in omnibus partibus quam

[1] Hagberg in interpretatione suecana, tom. VI pag. 42, ad hunc locum ita disputavit: 'Malone klandrar skalden för det att han nyss låtit kammarjungfrun säga, att klockan är nära tolf, men nu låter den slå tre. Klandret är orättvist; *tiden går fortare i skådespelet än på urtaflan*. Öfversättaren gör denna anmärkning, emedan nyare och ovana dramaturger ej sällan begå det misstaget att behandla den dramatiska tiden som rent af borgerlig tid'; de fabula, quæ inscribitur 'The Merchant of Venice', cfr Furness, l. c. pag. 332 seqq.

[2] Cfr de hac re Schück, 'William Shakspere', pag. 53.

aptissime rerum naturæ respondeant[1]. Commemorat Aristoteles, Carcinum, cum 'Amphiaraum' daret, explosum esse, quod fabulam in hac re vitiose composuisset; nam reditum Amphiarai ex templo ita repræsentavit, ut spectatorem non videntem lateret[2]; qua re spectatores offensi sunt, nimirum quod continuitatem actionis hac re interrumpi indigne ferebant.

Restat tantum, ut inspiciamus, quibus significationibus externis poetæ fictioni faverint spectatorum, res, quæ in tragoediis repræsentarentur, inter matutinum diei tempus et vesperum evenisse, — nam intra brevius temporis spatium quam quod integro solis ambitu continetur, actionem fabulæ non nisi raro constitisse suspicari licet. Satis apparet, hoc simplicissime ita institutum esse, ut poetæ in prima tragoediæ parte diserte indicarent actionem mane incipi[3], in extrema autem tragoediæ parte res vesperascente die agi. Aeschylus quidem in plerisque tragoediis[4], Sophocles et Euripides in nonnullis satis expresse indicaverunt, res, quæ repræsentantur, primo diluculo agi coeptas esse. Tragoediæ, in quibus hoc indicatum invenimus, hæ fere sunt: Aeschyli 'Agamemno', cujus prologo φρυκτωρία nocturna repræsentatur[5], 'Choëphori'[6], 'Eumenides', cujus in prima parte

[1] Ar. Poet. 1455 a 22 seqq.: δεῖ δὲ τοὺς μύθους συνιστάναι (καὶ τῇ λέξει ἀπεργάζεσθαι) ὅτι μάλιστα πρὸ ὀμμάτων τιθέμενον· — οὕτω γὰρ ἂν ἐναργέστατα ὁρῶν ὥσπερ παρ' αὐτοῖς γιγνόμενος τοῖς πραττομένοις εὑρίσκοι τὸ πρέπον καὶ ἥκιστα ἂν λανθάνοι τὰ ὑπεναντία.

[2] Poet. ibid. σημεῖον δὲ τούτου ὃ ἐπετιμᾶτο Καρκίνῳ· ὁ γὰρ Ἀμφιάραος ἐξ ἱεροῦ ἀνῄει, ὃ μὴ ὁρῶντα (ὁρῶντ' ἂν Vahlen) τὸν θεατὴν ἐλάνθανεν, ἐπὶ δὲ τῆς σκηνῆς ἐξέπεσεν δυσχερανάντων τοῦτο τῶν θεατῶν.

[3] In iis tragoediis, quæ in scena primæ agebantur, ipsam rerum naturam in hac re fictioni poeticæ favisse apparet, cum tetralogias primo mane agi coeptas esse constet; neque tamen concludere licet, omnes tragoedias, in quibus talia indicata sint, primas actas esse, id quod in 'Orestea' satis apparet.

[4] Cfr Zielinski, 'Excurse zu den Trachinierinnen', Philol. 55 1896 pag. 523.

[5] V. supra pag. 14.

[6] V. supra pag. 18.

Pythiam videmus templum Delphicum mane intrantem (cfr 'Ion' v. 41 κυρεῖ δ' ἅμ' ἱππεύοντος ἡλίου κύκλῳ | προφῆτις εἰσβαίνουσα μαντεῖον θεοῦ), ubi Furiæ nocturno somno sopitæ (v. 105) Orestem circumsident; item 'Septem ad Thebas', cujus initio nyctegresia Argivorum commemoratur, v. 27 seqq. οὗτος, τοιῶνδε δεσπότης μαντευμάτων, | λέγει μεγίστην προσβολὴν Ἀχαιίδα | νυκτηγορεῖσθαι κἀπιβουλεύειν πόλει[1]: tum 'Persæ', cujus initio fabulæ Atossa somnium enarrat, quod nocte præterita (v. 182 τῆς πάροιθεν εὐφρόνης) somniavit: e fabulis Aeschyleis deperditis, in quibus talia indicata erant, inveni 'Bassarides', cujus fabulæ argumentum cognoscitur ex Catasterismis Eratostheni tributis cap. 24, ubi hæc narrantur de Orpheo, cujus fatum in hac fabula repræsentatum fuisse suspicari licet[2]; τὸν μὲν Διόνυσον οὐκ ἐτίμα, τὸν δὲ Ἥλιον μέγιστον τῶν θεῶν ἐνόμιζεν εἶναι, ὃν καὶ Ἀπόλλωνα προσηγόρευσεν, ἐπεγειρόμενός τε τῆς νυκτὸς κατὰ τὴν ἑωθινὴν ἐπὶ τὸ ὄρος τὸ καλούμενον Πάγγαιον <ἀνιὼν add. Nauck> προσέμενε τὰς ἀνατολάς, ἵνα ἴδῃ τὸν Ἥλιον πρῶτον. ὅθεν ὁ Διόνυσος ὀργισθεὶς αὐτῷ ἔπεμψε τὰς Βασσαρίδας, ὥς φησιν Αἰσχύλος ὁ ποιητής, αἵτινες αὐτὸν διέσπασαν καὶ τὰ μέλη διέρριψαν χωρὶς ἕκαστον· — cfr schol. German. pag. 84, 11 (apud Nauck, Trag. græc. fragm. Lpg 1889 pag. 9); item 'Danaides', cfr frgm. 43 Nauck: κἄπειτα δ' εἶσι λαμπρὸν ἡλίου φάος | ἕως ἐγείρω πρευμενεῖς τοὺς νυμφίους | νόμοισι θέντων σὺν κόροις τε καὶ κόραις. E fabulis Sophocleis, ubi talia indicata sunt, inveni 'Ajacem', cfr v. 21, v. 144 seqq.: τῆς νῦν φθιμένης νυκτὸς | μεγάλοι θόρυβοι κατέχουσ' ἡμᾶς ἐπὶ δυσκλείᾳ: 'Electram', v. 17 seqq.: ὡς ἡμὶν ἤδη λαμπρὸν ἡλίου σέλας | ἑῷα κινεῖ φθέγματ' ὀρνίθων σαφῆ, | μέλαινα τ' ἄστρων ἐκλέλοιπεν εὐφρόνη: verisimiliter etiam huc pertinet 'Trachiniæ', cujus fabulæ parodo Sol oriens consalutatur, v. 94 seqq.: e fabulis Euripideis 'Ion', v. 82 seqq.: ἅρματα μὲν τάδε λαμπρὰ τεθρίππων

[1] Cfr Paley, l. c. ad locum: 'It is probable that the time of the play is assumed to be early morning, and that νυκτηγορεῖσθαι refers to the deliberations of the night, hardly yet passed'.

[2] Cfr Hermann, 'Opusc. philol.' V pag. 20.

ἥλιος ἤδη λάμπει κατὰ γῆν | ἄστρα δὲ φεύγει πῦρ τόδ' ἀπ' αἰθέρος | εἰς νύχθ' ἱεράν. | Παρνησιάδες δ' ἄβατοι κορυφαὶ | καταλαμπόμεναι τὴν ἡμερίαν | ἁψῖδα βροτοῖσι δέχονται. v. 121 seqq.: σαίρω δάπεδον θεοῦ παναμέριος ἅμ' ἁλίου πτέρυγι θοᾷ λατρεύων τὸ κατ' ἦμαρ; e fabulis Euripideis deperditis 'Andromeda', cfr frgm. 114 Nauck: Ὦ νὺξ ἱερά, ὡς μακρὸν ἵππευμα διώκεις | ἀστεροειδέα νῶτα διφρεύουσ' | αἰθέρος ἱερᾶς | τοῦ σεμνοτάτου δι' Ὀλύμπου, quibus Andromeda, postquam ad rupem deligata noctem peregit, primo fabulæ initio (cfr schol. Ar. Thesm. v. 1065; Wecklein 'Dram. u. krit. zu den Trag. frgm.', Sitz. ber. der philos. philol. Cl. der Akad. der Wiss. zu München 1888, pag. 87 seqq.) in questus erumpit; 'Phaëthon', cujus fabulæ argumentum ipsum postulare videtur, ut actio ante solis ortum incipiat[1], cfr frgm. 773 Nauck v. 10 seqq.: αἵδ' ἔξω δόμων δμωαὶ περῶσιν, αἳ πατρῷον ὥριμοι | σαίρουσι δῶμα καὶ δόμων κειμήλια | καθ' ἡμέραν φοιβῶσι κἀπιχωρίοις | ὀσμαῖσι θυμιῶσιν εἰσόδους δόμων. | ὅταν δ' ὕπνου γεραιὸς ἐκλιπὼν πατὴρ πύλας ἀμείψῃ κ. τ. λ.; tum chorus diem orientem celebrat

[1] Cfr Wilamowitz, 'Phaëthon', Hermes 18, 1883, pag. 399, 400 402, ubi hæc sunt: 'Ausserdem ist in Betreff der Tageszeit die Bemerkung auch nach Goethe nöthig, dass Phaethon so früh auf die Sonnenburg gelangen muss, dass er Helios noch zu Hause trifft, folglich die Sonne vor dem Ende des ersten Epeisodion nicht aufgehen kann. Die Schilderung in der Parodos gilt *also* nicht dem Erscheinen des Helios, sondern dem der Eos. Sowohl die Tragödie wie die Komödie, wie auch andere Zeugnisse, z. B. Platons Protagoras, zeigen uns ja, dass die Athener des fünften Jahrhunderts in einer uns befremdlichen Weise Frühaufsteher waren. Des Tages Arbeit beginnt lange vor des Tages Anbruch; mit dem δεῖπνον ist sie dafür auch beendet. Hier brauchte der Dichter die lange Zeit, weil die Fabel mit dem Aufsteigen des Helios die Katastrophe verknüpft. Da sich aber seine Fabel um das Tagesgestirn drehte, so musste er die Phasen der sinnlichen Erscheinung seiner Götter scharf betonen. Und während wir die mythischen Personen handeln sehen, schildern uns die Menschen die Macht des Elementaren in ihren Wirkungen wieder auf die Menschen, daher dies eigenartige Lied, das in der Antike kaum seines Gleichen hat, denn die nächstverwandte Stelle (spectant ad Sen. Herc. prim. stas. v. 139 seqq.) ist nur eine Nachahmung davon'; cfr tamen cum hoc 'Phaëthontis' parodo stasimum 'Rhesi' v. 530 seqq., quod infra afferam.

v. 22 seqq.: μέλπει δ' ἐν δένδρεσι λεπτὰν | ἀηδὼν ἁρμονίαν | ὀρθρευομένα γόοις | Ἴτυν Ἴτυν πολύθρηνον. | σύριγγας δ' οὐριβάται | κινοῦσιν ποίμνας ἐλαταί· ἔγρονται δ' εἰς βοτάναν ξανθᾶν πώλων συζυγίαι. | ἤδη δ' εἰς ἔργα κυναγοὶ | στείχουσιν θηροφόνοι, παγαῖς τ' ἐπ' Ὠκεανοῦ | μελιβόας κύκνος ἀχεῖ· ἄκατοι δ' ἀνάγονται ὑπ' εἰρεσίας | ἀνέμων τ' εὐαέσσιν ῥοθίοις ἀνὰ δ' ἱστία ... σινδὼν δὲ πρότονον ἐπὶ μέσον πελάζει [1]. Porro in nonnullis fabulis fingendum erat, actionem iam longe ante solis ortum nocturno tempore incipi [2]: sic in Sophoclis 'Antigona' [3], in Euripidis 'Hecuba', cfr v. 68 seqq.: ὦ στεροπὰ Διός, ὦ σκοτία νύξ. τί ποτ' αἴρομαι ἔννυχος οὕτω | δείμασι φάσμασιν; ὦ πότνια χθών, | μελανοπτερύγων μῆτερ ὀνείρων, | ἀποπέμπομαι ἔννυχον ὄψιν κ. τ. λ., quibus Hecuba se exterritam esse prædicat, quod nocturna specie corpus filii Polydori occisi laceratum conspexisset; hunc autem spectator in prima tragoediæ parte viderat; item in 'Electra', secundum v. 54 seqq.: ὦ νὺξ μέλαινα, χρυσέων ἄστρων τροφέ, | ἐν ᾗ τόδ' ἄγγος τῷδ' ἐφεδρεῦον κάρᾳ | φέρουσα πηγὰς ποταμίας προσέρχομαι, v. 78 ἐγὼ δ' ἅμ' ἡμέρᾳ | βοῦς εἰς ἀρούρας εἰσβαλὼν σπερῶ γύας; tum dictum est v. 102: Ἕως γὰρ λευκὸν ὄμμ' ἀναίρεται. In 'Iphigenia Aulidensi' fingendum est, actionem iam media nocte incipi [4]. v. 6 seqq.: Agamemno: τίς ποτ' ἄρ' ἀστὴρ ὅδε πορθμεύει; Senex: Σείριος ἐγγὺς τῆς ἑπταπόρου | Πλειάδος ᾄσσων ἔτι

[1] Animadvertit ZIELINSKI: 'Die Frage ist von weiterer Bedeutung: wo die Tragoedie mit dem Morgen begann, brauchte das Erscheinen des Chors nicht besonders motiviert zu werden; wo es nicht der Fall war, da war eine besondere Motivierung wünschenswerth (OT, OK, Med. u. a.).

[2] Cfr verba Aristotelis iam sæpius citata μικρὸν ἐξαλλάττειν; DÖRING, l. c. pag. 236.

[3] V. supra pag. 40 seqq.

[4] *Comoediam* quidem a conviciis quibusdam, quæ incolæ vicorum circumjacentium in quosdam Atheniensium, a quibus injuria affecti essent, *nocturno tempore* jactarent, originem traxisse docet 'Anonymus' περὶ κωμῳδίας, CRAMER, Anecdota Paris. I Oxon. 1839, pag. 3; idem auctor bene eruditus verbum κωμῳδός a verbo, quod est κῶμα, derivatum esse non abnuit, ib. pag. 4: Κωμῳδοὶ οὖν ἐκλήθησαν, ἢ — — ἢ ὅτι ἐν τῷ καιρῷ τοῦ κώματος ἢ τοῦ ὕπνου (λέγεται γὰρ κῶμος ὁ ὕπνος) ᾖδον; quæ tamen derivatio falsa esse videtur.

μεσσήρης. Agamemno: οὔκουν φθόγγος γ' οὔτ' ὀρνίθων | οὔτε θαλάσσης· σιγαὶ δ' ἀνέμων | τόνδε κατ' Εὔριπον ἔχουσιν. — ἔτι δ' ἡσυχία τῇδε κατ' Αὖλιν | καὶ ἀκίνητοι φυλακαὶ τειχέων.. v. 34 seqq.: σὺ δὲ λαμπτῆρος φάος ἀμπετάσας | δέλτον τε γράφεις | τήνδ', ἣν πρὸ χερῶν ἔτι βαστάζεις; tum dictum est v. 156 λευκαίνει τόδε φῶς ἤδη λάμπουσ' ἠὼς | πῦρ τε τεθρίππων τῶν Ἀελίου. Quin etiam aliquando totam fabulæ actionem nocturno tempore peragi fingendum erat: sic in 'Rheso', quæ fabula τὴν νυκτεγερσίαν περιέχει (Hypoth.); in priore parte hujus fabulæ permultis locis indicatur, res nocte intempesta agi: tum dictum est sidera labi atque auroram dilucescere, v. 530 seqq.: δύεται σημεῖα καὶ ἑπτάποροι Πλειάδες αἰθέριαι· μέσα δ' αἰετὸς οὐρανοῦ ποτᾶται, — οὐ λεύσσετε μηνάδος αἴγλαν; | ἀὼς δὴ πέλας ἀὼς | γίγνεται, καί τις προδρόμων | ὅδε γ' ἐστὶν ἀστήρ; aliaque signa diei appropinquantis enumerantur stasimo chori v. 546 seqq., quod admirabili quodam modo stasimi 'Phaëthontis' supra allati similitudinem refert: καὶ μὴν αἰω Σιμόεντος ἡμένα κοίτας | φοινίας ὑμνεῖ πολυχορδοτάτᾳ γήρυϊ παιδολέτωρ | μελοποιὸς ἀηδονὶς μέριμνα· | ἤδη δὲ νέμουσι κατ' Ἴδαν | ποίμνια· νυκτιβρόμου | σύριγγος ἰὰν κατακούω· | θέλγει δ' ὄμματος ἕδραν | ὕπνος· ἅδιστος γὰρ ἔβα | βλεφάροις πρὸς ἀοῦς: denique in ultimis tragoediæ versibus diem adesse comperimus, v. 984 σὺ δ' εἴ τι πράσσειν τῶν προκειμένων θέλεις, | Ἕκτορ, πάρεστι· φῶς γὰρ ἡμέρας τόδε. v. 991 πέποιθα Τρωσί θ' ἡμέραν ἐλευθέραν | ἀκτῖνα τὴν στείχουσαν ἡλίου φέρειν; item sine dubio actio intempesta nocte repræsentata est in 'Nyctegresia' incerti auctoris, quam fabulam latine reddidit Attius (v. Ribbeck, Trag. lat. fragm. Lpg 1871, pag. 198 seqq.); porro in fabula Sophoclea, quæ inscribebatur Ναύπλιος πυρκαεύς, cujus argumentum cognoscitur ex Hygini fab. 116: 'Ilio capto et divisa præda Danai cum domum redirent, — ad saxa Capharea naufragium fecerunt. — *noctu* cum fidem deorum implorarent, Nauplius — tanquam auxilium eis afferret, facem ardentem eo loco extulit, quo saxa acuta et locus periculosissimus erat. illi — naves eo deduxerunt, quo facto plurimæ eorum confractæ sunt milites-

que plurimi cum ducibus tempestate occisi sunt membraque eorum cum visceribus ad saxa inlisa sunt; si qui autem potuerunt ad terram natare, a Nauplio interficiebantur': cfr frgm. 400 Nauck: ἐπεύχομαι δὲ νυκτὶ τῇ κατουλάδι; verisimiliter etiam in ejusdem fabula, quæ inscribebatur 'Ῥιζοτόμοι, cujus fabulæ argumentum indicavit Macrobius, Sat. V, 19, 9: — 'Ῥιζοτόμοι, in qua (fabula) Medeam describit maleficas herbas secantem, sed aversam, ne vi noxii odoris ipsa interficeretur, et sucum quidem herbarum in cados aeneos refundentem, ipsas autem herbas aeneis falcibus exsecantem'; cum hac descriptione Sophoclis comparat versus illos Vergilianos Aeneid. IV, 513: 'Falcibus et messæ *ad lunam* quæruntur aenis | pubentes herbæ nigri cum lacte veneni', quibus Maronem Sophoclem æmulatum esse dicit, cfr frgm. 491 Nauck; forsitan etiam in fabula Ionis, quæ inscribebatur Φρουροί, si quidem de argumento hujus fabulæ recte conjecit Welcker, v. Nauck, T. G. F. pag. 741; cfr frgm. 45 ῥοθεῖ δέ τοι σῦριγξ Ἰδαῖος ἀλέκτωρ[1]. — Ex altera parte in nonnullis fabulis indicatum invenimus, extremam actionis partem nocte ingruente agi: ut in Aeschyli 'Choëphoris', ubi hæc sunt: v. 656 νυκτὸς ἅρμ' ἐπείγεται σκοτεινόν κ. τ. λ. v. 880 καθεύδουσιν μάτην ἄκραντα βάζω[2];

[1] In Euripidis 'Cyclope' dubito an poeta non finxerit, res nocturno tempore agi, ut placuit Wieselerio, 'Scenische und kritische Bemerk. zu Eurip. Kyklops', Abhandl. der königl. Gesellsch. der Wissensch. zu Göttingen 27 1881, pag. 1 seqq., qui hæc comprobare conatus est: 'Im Kyklops — nimmt sie (die Handlung) mit Einbruch des Abends ihren Anfang, zieht sich durch die ganze Nacht hindurch und dauert selbst noch eine geraume Zeit fort, nachdem die Sonne schon heiss zu brennen angefangen hat'; neque enim hæc quamvis attente fabulam perlegens satis diserte a poeta indicata inveni; quod cum ita sit, hanc Wieselerii opinationem haud immerito abnuisse mihi videntur viri doctissimi Wecklein, Philol. Rundsch. 1881, 37, pag. 1165, Wilamowitz, Deutsche Litteraturz. 1881, 40, pag. 1539; 'In diesem Falle war es die Pflicht des Dichters, zu sagen, dass Nacht wäre und dass die Sonne aufginge' Wilamowitz.

[2] Cfr supra pag. 18 seqq.; etiam Agamemnonem nocturno tempore occisum esse commemorat Philostratus, 'Imagin.' II, 9 'Casandra':

in ejusdem 'Supplicibus', v. 776 seqq.: ἄλλως τε καὶ μολόντες ἀλίμενον χθόνα | ἐς νύκτ' ἀποστείχοντος ἡλίου φιλεῖ | ὠδῖνα τίκτειν νὺξ κυβερνήτῃ σοφῷ; fortasse etiam in incerta Agathonis fabula, ex qua frgm. 15 Nauck: ἐκφέρετε πεύκας φωσφόρους; in extrema 'Eumenidum' parte Furiæ pompa sollenni prælucentibus facibus ducta in locum iis consecratum deducuntur, v. 1004 seqq. v. 1023 seqq., v. 1043; quarum quidem sacra semper nocturno tempore facta esse scimus[1]. Haud scio an Aeschylus in 'Choëphoris' hac re usus sit ad poeticum quendam effectum exaggerandum[2]. Quin etiam Himerius rhetor noctem tempus proprie 'tragicum' eamque ob causam præcipue 'scena atque tragoedia dignam' esse dicit, 'de morte Rufini' paragr. 23 — — ἵνα πάντα ὁμοῦ τῆς σκηνῆς γένηται καὶ τῆς τραγῳδίας ἄξια, ὁ τόπος, ὁ καιρός, ἡ γνῶσις τοῦ δυστυχήματος· Νὺξ μὲν γὰρ ὁ καιρός, μέλας δὲ ὁ τόπος κ. τ. λ. Haud inverisimile mihi videtur, ejusmodi vicissitudines diei temporum apud Græcos apparatu quodam scenico indicatas esse, eodem fere modo fortasse, quo hæc in scena *Shakespeariana* indicabantur[3]. De ejusmodi scenæ ornatibus nihil quidem certi ab antiquis auctoribus, qui de re scenica scripserunt, memoriæ proditum est, id quod

---

— εἰ μὲν ὡς δρᾶμα ἐξετάζομεν, ὦ παῖ, ταῦτα, τετραγῴδηται μεγάλα ἐν σμικρῷ, εἰ δ' ὡς γραφήν, πλείω ἐν αὐτοῖς ὄψει. σκόπει γάρ· λαμπτῆρες οὗτοι χορηγοὶ φωτός, ἐν νυκτὶ γὰρ ταῦτά που, κρατῆρες δ' ἐκεῖνοι χορηγοὶ ποτοῦ φανότεροι τοῦ πυρὸς οἱ χρυσοῖ κ. τ. λ.; quæ tamen descriptio haud scio an potius secundum Homerum λ 406 seqq. quam secundum Aeschylum facta sit.

[1] Cfr schol. Eumen. v. 109; schol. Soph. Oed. Col. 489; K. Otfr. Müller, 'Aesch. Eum.' pag. 180, Hermann, 'Griech. Staatsalt. § 105, 12; dubito an hoc loco de lustratione quadam igni peracta ut in 'Helena' v. 865 seqq. cogitare liceat.

[2] V. supra pag. 19; cfr Shakespeare, 'Hamlet', III, 2: 'T' is now the very witching time of night | When churchyards yawn, and hell itself breathes out | Contagion to this world; now could I drink hot blood | And do such bitter business as the day | Would quake to look on'.

[3] Cfr de hac re e. c. Ulrici, 'Shakespeares Dramatische Kunst' pag. 98: 'Hellblaue Teppiche, von der Decke herabhängend, sagten aus, das es Tag sei, etwas dunklere, das es Nacht sei', et ea, quæ sequuntur.

mirum vix potest videri considerantibus, quam pauca de apparatibus scenicis Græcorum nobis tradita sint. Tamen nihil, quantum equidem video, obstat, quominus etiam ejusmodi apparatus fuisse putemus inter illa καταβλήματα, de quibus loquitur Pollux, IV, 131 καταβλήματα δὲ ὑφάσματα ἢ πίνακες ἦσαν ἔχοντες γραφὰς τῇ χρείᾳ τῶν δραμάτων προσφόρους — —; cfr 'Anonymus' περὶ κωμῳδίας, Cramer, Anecd. Par. pag. 9: κατεσκευάζετο ἡ σκηνὴ — — πεποικιλμένη παραπετάσμασι καὶ ὀθόναις λευκαῖς καὶ μελαίναις.

Iam disputationem ad finem perduxisse videor. Nemo ignorat, quanta severitate 'poetæ docti' inprimis Franco-Gallorum decimi septimi seculi hoc quod putabant Aristotelis esse præceptum etiam in tragoedia nostra servandum putaverint (qui item postulaverunt, ut res per totam tragoediam eodem agerentur loco, de quo Aristoteles tamen nihil diserte disputavit [1]); de hac autem re disputare a proposito meo alienum constitui. Ceterum hæc 'præcepta' ab ingenio et Aristotelis et artis dramaticæ nonnihil discrepare iam pridem demonstraverunt viri doctissimi inprimis Germanorum supra laudati, libenterque assentior Vischero [2], quæstionem *ab hac parte* iam dudum dijudicatam atque obsoletam esse.

---

[1] Quamquam negari non potest, etiam hoc leviter indicatum esse Poet. 1459 b 24 — τὸ ἐν μὲν τῇ τραγῳδίᾳ μὴ ἐνδέχεσθαι ἅμα πραττόμενα πολλὰ μέρη μιμεῖσθαι ἀλλὰ τὸ ἐπὶ τῆς σκηνῆς καὶ τῶν ὑποκριτῶν μέρος μόνον; hoc nostrorum criticorum primus diserte postulavisse videtur Castelvetro, cujus verba attulit Breitinger, Rev. critique 1879, II, pag. 478 seqq.

[2] 'Aesthetik' pag. 1395.